A Enimverò reſpublicas primus Homerus diſtinxit. Nam Iliad. 6. in ſcuto, quod totius mundi exemplum Vulcanus paravit (is intelligitur ſpiritus vis) duas fecit urbes: unam in pace, & lætitia degentem, alteram deditam bello: ac utriuſque conſectaria enarrans, oſtendit, aliam eſſe civilem vitam, aliam bellicam. *Plut. de Homero.*

LEGUM

ΚΤΗΣΙΣ. NEMPE

LEX POSITA.

A Quibus.

☞ *Vide Legiſlatores.*

CAROLUS IV. Imp. cùm videret multa in conventu Imperis ſine ordine geri, multa conſtituit, quæ uſque in hodiernum diem obſervantur, & aureo ſigillo appenſo, appellari juſſit conſtitutionem Imperialem, bullam auream. *Crantzius lib. 9. Saxon. cap. 29.*

De Quibus.

☞ *Huc omnes Leges, vel inſolentia, vel utilitate ſua celebres.*

Lex apud Rhodios fuit, ut ſi qua roſtrata in portu navis
B deprehenſa eſſet, ea publicaretur. *Cic. lib. 2. de Invent.*

Inter fabulas adeò eſt comœdia abjecta, & illepida habita apud Athenienſes, ut lege ſancitum fuerit, ne quis comœdiam componeret Areopagita. *Plut. de gloria Athen.*

Lucanorum lex eſt κακοξενίας, in eos qui peregrinos, poſt Solis occaſum hoſpitium petentes, non exciperent. *Ælianus lib. 4. var. hiſt.*

Cùm apud Amycleos (eſt id oppidum Italiæ, inter Cajetanum, & Terracinam) ſubinde nunciaretur hoſtium adventus, idque falsò, & ob eam rem civitas frequenter inani terrore quaſſaretur: lata lege cautum eſt, ne quis unquam hoſtis nunciaret adventum. Atqui poſt evenit, ut verè jam advenirent hoſtes; quod cùm nemo nunciaret, propter leges interdictum, civitas de improviſo capta eſt. *Eraſ. in Adagiis.*

REUTHA Scotorum rex, quòd complures aut vulneratos, aut morbo correptos, medicorum inſcitia periiſſe ſciret, ne quiſpiam, niſi longa experientia, medici nomen deinceps aſſumeret, edixit, capitis pœna propoſita in non obtemperantes. *H. Boethius lib. 2.*

C Quomodo.

Apud Athenienſes tabulæ quædam erant quadræ, in quibus leges deſcriptæ proponebantur, præterea variæ delinquentium pœnæ. Has illi κύρβεις appellant: apud Lucianum ἄξονες dicuntur. *Eraſ. in Adagiis.*

Quot.

CHARILAUS, Lycurgi fratris filius, interrogatus de paucitate illius legum, reſpondit: Quia verbis non multis uterentur Spartani, hos non multas quærere leges. *Plut. in Lycurgo.*

Quando.

Lex trinundino ferebatur apud Rom. nec alio modo ritè ac juſtè dicebatur, niſi trino promulgata nundino. Eſt autem promulgare, quaſi provulgare, hoc eſt, in vulgus edere, ut Feſto Pomp. placet, & trinundinum à ternis nundinis dicitur. Nundinæ verò mercatum ſignificant, quoniam octo diebus ruſtici in agris verſabantur, in opere faciendo occupati, & nono quoque die in urbem veniebant, rerum permutationes facturi, lites compoſituri, ac ſuffragia ſenatuſconſulto conceſſa, ſi opus foret, laturi. Primis
D nundinis, & item ſecundis, lex promulgabatur, ut à ſingulis atque univerſis (quod ait Macrobius) facilè noſceretur. Tertio foro ſeu mercatu, cùm omnis, & urbana, & agreſtis adeſſet turba, rogatio fiebat, præco verba legis, ſcriba ſubjiciente, recitabat; & ſi populus ſciebat, lex ferebatur, hoc eſt, in æs incidebatur, & in ærario reponebatur, & tunc demùm lata dicebatur. Tempore promulgationis, hoc eſt, primis & ſecundis nundinis, interdicere, hoc eſt, contradicere licebat: cùm verò lata fuerat, minimè. Quam rem ſignificat Cicero in 1. Antonianarum, dicens, leges duas ab Antonio nulla promulgatione latas, nempè quòd trinundino populo recitatæ non fuerunt, nec licuit illis contradicere, vel ut magis intercedere. *Antonius Garro de Orig. juris.*

LEX NON POSITA.

Ariſt. lib. 10. Ethicorum, Nicomachiorum Cyclopicam vitam appellat, ubi nullis publicis legibus vivitur, ſed quiſque ſuo arbitratu res gerit: ἐν δὲ ταῖς πλείσταις τῶν πόλεων ἐξημέληται περὶ τῶν τοιούτων, ζῇ δ' ἕκαστος, ὡς βούλεται, κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων ἢ ἀλόχου, id eſt, in cæteris autem civitatibus ſuper his, hoc eſt, educatione liberorum, nulla eſt habita cura; ſed quiſque vivit, ut vult, Cyclopum ritu de liberis, & uxore fas nefaſque ſtatuens. Cyclopes enim ſparſim habitare feruntur in montibus, nulla ſpecie vitæ civilis, ſed in ſuo quiſque antro facit, quod lubet. Ne religio quidem apud illos ulla. *Eraſ. in Adag.* E

SOLON ἐρωτηθεὶς, διὰ τί κατὰ πατροκτόνου νόμον οὐκ ἔθηκε; διὰ τὸ ἀπελπίσαι, εἶπεν, id eſt, Rogatus, quam ob cauſam non tuliſſet legem in parricidas, reſpondit, Quòd non ſperaſſet futurum parricidam. *Idem.*

ΧΡΗΣΙΣ LEGUM.

AUCTORITAS.

ARCHIDAMUS Zeuxidami F. quærenti, Quis Spartæ præeſſet? Leges, inquit, & juxta leges magiſtratus. *Plutarch. in Apoph.*

* PITTACHUS Crœſo percontanti, Quodnam eſſet maximum imperium? Ποικίλου ξύλου, reſpondit, Varii ligni, hoc eſt, tabularum in quibus leges deſcribuntur.

OBSERVATIO.

☞ *Sub loco Iuſtitiæ, de Legum obſervantia egimus.*

PLEBISCITA. F

LYCOPHRON Lycurgi, Butades, promulgatione proſcripta poſtulat ſibi jus epulandi in Prytaneo Sciſci, quod donatum à populo fuit Lycurgo Butadæ, Anaxicrate Archonte ex tribu Antiochide in Prytania. Stratocles Euthydedæ filius Diopithenſis promulgat: Quando Lycurgus Lycophrontis filius, Butades, accepta à majoribus ſuis gentilitia jam inde antiquitùs adverſus populum benevolentia: cujus majores Domeſtices, & Lycurgus, cùm vivi honores à populo conſecuti ſunt, tum defunctis virtutis ergo dedit populus publicam in Ceramico ſepulturam: ipſe etiam remp. gerens Lycurgus, multas patriæ, & præclaras leges tulit, quæſtor à civitate creatus Panathenæa conceſſit, diſpenſatiſque ex vectigalibus publicis XIIX. millibus nongentis talentis, magnaque pecunia à privatis fide ſua ſumpta impenſaque in uſum civitatis, & populi, ad DCL. talentorum ſummam, quia omnia hæc conſtabat rectè eum atque ordine adminiſtraſſe, identidem eſt à populo corona donatus: præterea ad eam rem à populo deſignatus, magnam vim pecuniæ in arce coegit, paravitque Minervæ mundum. Victorias ex ſolido auro, vaſa ad pompas aurea, & argentea, mundum aureum ad centum canephoras: præfectus apparatui bellico armorum magnum numerum, telorum quin- G quaginta millia comportavit, triremes ad deducendum in aquam aptas paravit quadringentas, quarum partem refecit, partim novas ædificavit; inſuper cura inchoatorum operum ſuſcepta, navalia, armamentarium, & theatrum Dionyſiacum abſolvit; effecit circum Panathenaicum, gymnaſiumque, & Lyceum inſtruxit, multiſque aliis opificiis urbem exornavit: Alexandro regi, qui totam ſubjugaverat Aſiam, totique ſemel Græciæ imperare parabat, cùm Lycurgum ille, quòd conatibus ſuis obſiſteret, expoſceret, non eſt illius terrore adductus populus, ut eum dederet: ac cùm actionum ſuarum rationes frequenter in libro, & populari civitatis ſtatu dediſſet, integer, & abſtinens perpetuò manſit. Quo cognoſcant omnes, populum eos, qui actiones ſuas ad publicam libertatem, & ad conſervandam popularem remp. dirigere ſtudent, & vivos in ſummo honore habere, & defunctis gratiam immortalem referre, quod felix fauſtumque ſit, viſum populo eſt, Lycurgum Lycophrontis filium Butadem, virtutis, & juſtitiæ cauſa celebrare, ac locare ei in foro ſtatuam ex ære, niſi quo loco interdictum eſt lege non locare: conare etiam epulandi in Prytaneo jus H ſtirpi Lycurgi maximæ natu in omne ævum, utque rationes ejus ratæ ſint, referatque ſcriba eas in columnas lapideas, publicèque proponat, & ſtatuat in arce juxta dedicata ibi ornamenta. Ut hæc in columnas perſcribantur, quæſtor populi quinquaginta drachmas numeret, ex ea pecunia, quæ expenſa populo in plebiſcita refertur. *Plut. in vitis decem.*

DEMOCHARES Lachetis filius, Leuconthenſis, poſtulat Demoſtheni Demoſthenis filio Pæanienſi ſtatuam ex ære in foro, jus in Prytaneo epulandi, & primum ſubſellium ei, & ex ſobole ejus ſẽper natu maximo, quòd beneficus in populum Athenienſem, auctorque multorum, & bonorum conſiliorũ ei fuit, facultateſque ſuas in uſum publicum convertit, intulitque talenta octo, & triremem, cum populus in libertatem Eubœam aſſereret: alteramque, quando in Helleſpontum cum claſſe navigavit Cephiſodorus: aliam, quando Chares & Phocion prætores Byzantium cũ imperio miſſi à populo

A fuere, & quòd multos eorum, qui Pydnæ & Methonæ & Olynthi in Philippi poteſtatem venerunt, ære ſuo redemit, ſumptumque claſſicis ſubminiſtravit, quando imparibus ad ſumptus ſuſcipiendos Pandionidis impenſas præbuit: armavitque cives eos, qui impares erant: in muros reficiendos impendit ex ſua liberalitate ei operi præfectus à populo tria talenta: Piræneum ſuo ſumptu duplici foſſa cinxit, ſub prælium Cheronenſe talentum eſt largitus ad annonam comparandam, cùm laboraretur fame: quòd populo Athenienſi ſocios inducendo, benè merendo, & conſulendo, qua ratione perpulit eos, aſcivit Thebanos, Eubœenſes, Corinthios, Megarenſes, Achæos, Locros, Byzantios, Meſſenios, copiaſque, quas populo Athenienſi, & ſociis adjunxit, peditum decem millia, equites mille: quòd ad conferendum ſtipendium legatus perpulit ſocios plus quingenta talenta, quòd largienda pecunia, & legatione ſuſcepta, ne Alexandro Peloponneſii ad Thebas ſuppetias ferrent, obſtitit, multorumque aliorum, & egregiorum conſiliorum populo auctor fuit, remque publ. præter ætatis ſuæ reliquos ad tuendam libertatem, & populi principatum geſſit opti-
B mè: quòd etiam populo paucorum vi oppreſſo ceſſit Athenis, vitamque Calauriæ propter benevolentiam in populum Athenienſem depoſuit, miſſis ab Antipatro in eum militibus, in benevolentia erga plebem & charitate perſtitit, & cùm in poteſtatem venit inimicorum, nihil in ipſo diſcrimine populo Athenienſi egit indignum, Archon Pytharatus. *Idem.*

LACHARIS Democharis filius, Leuconenſis, poſtulat à ſenatu, & populo Athenienſi donum Demochari Lachetis filio, Leuconenſi, ſtatuam ex ære in foro, & jus in Prytaneo epulandi, atque ex ejus ſobole ſemper natu maximo, primumque in omnibus ludis ſubſellium, quòd beneficus in populum Athenienſem, eique optimorum conſiliorum auctor fuit: hæc benefacta apud populum collocavit in legationibus, rogationibus, & actionibus publicis, murorum ædificationem, armorum, telorum, machinarum apparatum: quòd urbem bello quadriennali munivit, pacem, inducias, ſocietatem cum Thebanis ſanxit, quorum cauſa ab illis, qui civitatem profligaverant, actus in exilium fuit, revocatuſque Archonte Diocle à populo, compreſſit primus
C actiones tam eorum, qui facultatibus ſuis pepercerant, quàm Legatorum ad Lyſimachum: donum paravit populo triginta talentorum argenti, iterumque centum: rogationem tulit de mittenda in Ægyptum ad Ptolemæum legatione, qua legati, qui miſſi eò fuerant, talenta argenti quinquaginta populo reportaverunt: ad Antipatrum legatus XX. talenta argenti accepit, ſacra Cereris Eleuſinia recepit, horum auctor ſciſcendorum populo fuit, hæc geſſit, reip. cauſa in exilium ivit, paucorum potentiæ nunquam ſe aggregavit, populo oppreſſo nullum magiſtratum cepit, ſolus ex iis, qui ſua memoria remp. tractaverunt, nulla actione reip. ſtatum movere tentavit alia, niſi auctoritate tuendi populi: judicia, leges, tribunalia, patrimonia Athenienſibus omnibus in tuto actionibus ſuis collocavit, nihilque neque verbo, neque facto adverſus populi principatum eſt molitus. *Idem.*

Q. HORTENSIUS tribun. pl. deinde Philo dictator legem tulere, ut Plebiſcita omnes Quirites tenerent, utque leges à populo latæ, ritè promulgatæ non eſſent, niſi poſt initum populi ſuffragium, patres auctores fierent. A primo verò
D urbis ortu, poſt exactos reges, de nulla re populus dijudicaſſe, aut ſuffragia tuliſſe traditur, niſi ex conſulto ſenatus. Priùs enim jubebat populus, deinde confirmabat ſenatus, quod ævo ſubſequente fieri deſitum eſt: nam de his quæ plebs ſcivit, non ſenatus, ut priùs, dijudicabat, ſed depravato uſu, de his quæ ſenatus cognoverat, populus judex erat. *Alex. lib. 4. cap. 11.*

* LEGUM TRANSGRESSORES.

De legum cùm divinarum, tum humanarum tranſgreſſoribus, multa peti poterunt ex locis ipſarum virtutum aut vitiorum, quæ fieri per leges jubentur, aut vetantur. Item *ex loco de Iudæis*, ubi inſignem eorum ingratitudinem depinximus. Hanc enim S. Stephanus *Act. 7. c. 39.* illis objicit, Hic eſt, inquiens, Moyſes, qui accepit verba vitæ dare nobis: Cui noluerunt obedire Patres noſtri, ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, &c. rurſus: Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis, &c.

POENA.

Quæ pœna maneat legum divinarum tranſgreſſores, *videatur eod. tit. de Iudæis.*

Sed expreſſiùs varia pœnarum genera Deus inculcavit E non ſervantibus leges ſuas. Siquidem XXVIII. maledictiones intentat iiſdem *cap. 26. Levit. v. 14.* & ſeq. Ait enim:

Quòd ſi non audieritis, & ad iracundiam provocaveritis, ſcilicet non audiendo præcepta mea, viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conſumat animas veſtras.

Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſte devorabitur.

Ponam faciem meam contra vos: fugietis coram hoſtibus, ſubjiciemini his qui oderunt vos, & fugietis nemine perſequente, &c.

Totum enim illud caput uſque ad finem, penè commemorat afflictiones, & maledictiones, quibus ſubjacebunt tranſgreſſores divinæ legis: vide etiam de eodem argumento *Pſal. 88.*

QUATUOR ORDINES TRANSGRESSORUM.

Primus eſt eorum, qui præcepta vel legem æquiſſimam ſimpliciter tantùm tranſgrediuntur, non faciendo, quod jubetur, aut præſtando, quod vetatur; idque vel ex infirmitate, vel ex ignorantia.

Alter eſt illorum, qui data opera, & ex pervicacia perverſæ voluntatis tranſgrediuntur. F

Sunt præterea, quibus non ſufficit prævaricari perversè legem, ſed monentes inſuper ad illius obſervationem repellunt; eſtque is tertius gradus.

Quartus denique eſt eorum, qui ſe planè avertunt, velut traditi in reprobum ſenſum: Et eſt peſſimus gradus. Omnium autem horum inſimulare videtur Judæos in Actis Apoſtolorum S Stephanus, *cap. 7.*

LEGUM OBSERVANTIA,

OBEDIENTIA.

SERVANTES LEGEM PRÆMIANTUR.

Uti adverſus tranſgreſſores mala comminatur Deus, ita legem ſervantibus omnia bona promittit eodem loco, & ſimiliter ex eo eruuntur XXVIII. benedictiones. Ita namque loquitur:

Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, dabo vobis pluvias temporibus ſuis.

Et terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & & abſque pavore habitabitis in terra veſtra. G

Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit, qui exterreat. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros, &c. *Videatur cap. 26. Levit. à verſ. 1. uſque ad 14.*

* LEGUM NOVITATES, ET MUTATIONES EXITIOSÆ.

Cùm leges ſint velut nervi, & coagulum Reipublicæ, ſi illas mutari aut innovari contingit, labefactatur illius ſtatus. Veriſſimum eſt illud Platonis, veteres leges mutare, perinde ſe habere, ac capita Hydræ præcidere. Ideò Salomon monet, non eſſe transferendos limites, quos patres ſtatuerunt. Thucydides benè dixit, Tutiſſimas eſſe Reſpublicas, quæ quàm minimum mutant in legibus veteribus. Hiſtoriis hanc rem declaremus.

SOLON cum videret, quantis cum periculis mutatio legum & ſtatus Reipub. conjuncta eſſet, adegit Senatum ad juramentum, quo pollicebatur, ſanctè ſe ſervaturum eſſe leges à Solone latas. *Plutarch. in vita Solonis.* Hanc legem am- H plexa Venetorum Reſpublica inviolabiliter tuetur, cùm ne ad Senatum quidem de Republica, inconſulto Sapientium collegio, ferre liceat. *Ioh. Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 3.* Lycurgus obſtrinxit ſibi cives juramento, ne mutarent leges uſque ad ſuum reditum.

POLYBIUS diſputat de cauſis, cur urbs Carthago toties victa, & tandem oppreſſa, & deleta ſit à Romanis: cùm contra urbs Romana creverit. Cauſam transfert in ſtudium diverſum populi utriuſque, quòd eo tempore multò negligentiùs Carthaginenſes, quàm antea, Romani multò diligentiùs conati ſunt tueri, & defendere leges patrias. *Peucerus in lect. Chronol. Rich. in axiom. Polit. cap. 291.* Recitat *Demoſthenes in orat. contra Timocratem* legem, quæ fuit apud Locros: Ut ſi quis novam legem laturus eſſet, ſuaderet eam publicè, collo in laqueum inſerto, ut ſi non placuiſſet lex, cives mox ſtrangularent autorem. Hinc intra ducentos annos legem apud Locrenſes novam nullam latam fuiſſe: niſi cùm aliquando quidam habens duos oculos, minitaretur unicum habenti oculum, ſe illi eum effoſſurum:

A ibi latam legem, ut ei, qui unicum habenti oculum effodiſſet, ambo eruerentur. *Bodin. de Republica.*

Perſarum conſuetudo erat, ut ſi quis de rebus obſcuris ambiguiſque conſilium Regi date vellet, ſuper aureo latere ſtaret, atque ſi bona ſalubriaque in medium conſuluiſſe videretur, latere in conſilii præmium accepto diſcederet. Nihilominùs tamen flagris cædebatur, ſi contrarium Regi dixiſſet. *Ælian. lib. 17. de varia hiſtoria.*

Hæc ſapientia Ethnica olim etiam movit prudentes viros, & in Romano Imperio, ut tam diu pertinaciter adverſarentur religioni Chriſtianæ, & tuerentur ſua idola. *Richerus ſuprà. Leges multæ noxiæ: pauciores ferendæ.* ☞ *Vide ſuprà.*

• EXTRA ORDINEM TUTO ALIQUANDO EAS FERRI, AC JUS DICI.

Extra ordinem, ubi reformatione opus, legem ferri poſſe, & id quidem utiliter, plura exempla demonſtrant. Ita fecit Juſtinus Curopalates Imperator Byzantii. Cùm enim ipſe B morbido corpore eſſet, ac rarò jus diceret, injuria & lites creverant adeò, ut pro deſperata res penè (Byzantii præſertim) videretur. Ecce adit eum quidam, & ingenium operámque obtulit ad coercendum, ea lege, ut ipſe Præfectus plena poteſtate in tempus certum eſſet. Annuit Imperator, ſumit poteſtatis infulas, & pro Tribunali ſedet, ac primò accuſatur ex compoſito apud eum unus ex illuſtribus Senator, in Aula ipſa gratioſus: accuſatus ſpernit ſe ſiſtere, & contemptim, præter ipſum tribunal, in Aulam pergit. Pergit ex templo & Præfectus, videt Principem in convivio, & ibidem hunc reum. Nihil deterritus: Imperator, inquit, juri dicendo Præfecturam à te habeo, & ab ipſo te auxilium & præſidium meritò ſperabam. Nunc quid? vides his oculis homines palam injurios, & legum non fractores ſolùm, ſed ſpretores aut illuſores, in tua domo, gratia, menſa eſſe. Itaque inſignia hæc tibi habe irritæ poteſtatis, ego abdico. Imperator mirari, & excitari: Tu verò, inquit, quod es eſto, & jus tuum vel in me, quidni meos, exerce. Duc, ſi peccavi, ſequor: duc, ſi quis hic alius, & ſequetur, aut trahetur. Præfectus jam animi erectior, oculos & manus C in illum Senatorem conjicit, per apparitores renitentem etiam trahit: atque in judicio convictum damnatumque, primùm verberibus afficit, tum & grandi pecunia mulctat. Hic ictus qui tam validum illum concuſſerat, multos terruit, & in paucis diebus vim, & vitam Juſtitia recepit. *Juſt. Lipſius in Exemp. monit. Politicis.*

• LEGES SANCITÆ EXEMPLO AUCTORUM.

Sive, Leges recidere in Legiſlatores.

Lycurgus, cùm agri tenerentur à divitibus, condita lege, eos partitus eſt in cives. Removit uſum monetæ aureæ, & argenteæ, & introduxit ferream. Inſtituit publicas comeſſationes. Ad ædificandas ædes nullum voluit adhiberi inſtrumentum aliud, præter ſecurim & ſerram. His legibus conciliavit ſibi odium, & invidiam divitum, quam declinaturus, cùm aufugeret in templum quoddam ad aſylum, ab Alexandro illi oculus inter reſpiciendum exculpitur. Quidam dicunt, ex inſidiis, jactu lapidis, ab Alexandro ipſi eſſe erutum oculum: alii dicunt, ictu baculi, ut refert *Ælianus de varia hiſtoria lib.* 13. Tandem ſpontaneum elegit exilium, D civibus priùs obſtrictis juramento, ne quid in legibus ſuis mutarent. In eo exilio inedia ſpontanea mortuus eſt, ſecundum Euphorum. Nonnulli ſcribunt, eum ſibi ipſi manus violentas intuliſſe.

Idem Lycurgus legem ſcripſit, ne mulieres in feſto myſteriorum curru veherentur; quæ verò id feciſſet, mulctam lueret, quam ipſe idoneam putans conſtituerat. Prima verò ipſius uxor adverſus hoc Pſephiſma deliquit, atque damnata pœnam ſubivit. *Ælian. lib.* 13.

Zaleucus Locris Occidentalibus leges dedit, ut adultero bini oculi effoderentur. Filio Zaleuci paulò poſt in adulterio deprehenſo, ne auctoritas legum imminueretur, curavit, filio unum, ſibi alterum erui oculum.

Charondas Tyrius prohibuerat in frequentem ſenatum inferre telum ſeu gladium. Cùm aliquando properaret in curiam, & oblitus fuiſſet deponere gladium, proptereàque ſuam ipſius legem violaſſe diceretur, ſeipſum ſuo gladio transfodit.

Solon fecit legem de ἀμνησία, ut divites pauperum agros retinerent, & pauperes ſolvere debitum non cogerentur: auxit & valorem monetæ. Amici Solonis ante promulgatio- E nem legis contrahunt magnum debitum, & multos agros emunt: Hìc ſtatim oriuntur contentiones, quaſi in commodum ſuorum amicorum hanc legem feciſſet. Illam ignominiam aboliturus Solon, ipſe primus coactus eſt remittere debitoribus æs alienum, tandem exulat.

Pericles legem poſuit: Ne quis in Athenienſium Republica haberetur, qui non utroque parente cive natus eſſet; qui deinde amiſſis geminis filiis, nothum ſuperſtitem habebat. Duo enim filii, quos habuit, Patrochus & Xantippus, communi morbo peſtilentiæ confecti, mortem objerunt. Superſtites autem Pericli fuere nothi, quibus poteſtas adminiſtrandi Rempublicam per legem patris erat erepta. Patet autem, quòd alia voluerit Pericles, alium verò ſit eventum ſortitus. *Ælianus lib.* 13. & 16.

Clysthenes Athenienſis primus exilii ſupplicium introduxit, atque ipſe primus eo damnatus eſt. *Idem lib.* 14.

Legem quandam poſuiſſe rex Tennes fertur (aliis dicitur Tenedus) ſi quis adulterum deprehendiſſet, ut eum ſecuri trucidaret. Deprehenſo verò filio ipſius, cùm is qui depre- F henderat, Regem, quid faciendum, rogaſſet: reſpondit, Lege uteretur. Et ob hanc cauſam in altera parte numiſmatum ſuorum ſecurim inſculpſit, in altera viri atque mulieris faciem ex uno collo dependentem. Inde factum eſt, ut de præcipitiis diceretur: Tenedia ſecuri permiſſum eſſe. *Heraclides de Politicis.*

Eutropius Eunuchus, cujus ſumma fuit potentia apud Imperatorem Theodoſium, ſcribitur ſuaſor fuiſſe legis, ut liceret ſontes ex templis vi abducere, qua lege poſtea & ipſe de templo extractus eſt.

Licinius Stolo legem tulerat patritiis maximè infeſtam, qua ſtatuebatur, ne quis amplius quingentis jugeribus agri poſſideret. Atque is quidem Licinius, cùm ſibi magnum nomen ea lege prolata paraviſſet, paulò poſt ipſe deprehenſus, tantum agri poſſidere, quanto aliis interdixiſſet, ſua ipſius lege damnatus, pœnas dedit. *Plutarch. in Camillo. Valer. Max. aliter recenſet in Catalogo illuſtrium virorum.*

• DE LEGUM QUALITATE, OBEDIENTIA, NECESSITATE. G

APOPHTHEGMATA ETNICORUM.

Lycurgus, cuidam percontanti, quam ob cauſam non uteretur legibus ſcriptis: quoniam, inquit, eruditi qui ſunt, rectèque educati, probant, quid pro ratione temporis expediat. Significans, ſcripturam non mutari, cùm pro varietate occaſionum vir probus, & ſapiens ſæpenumerò cogatur mutare conſilium. Et res nominatim præſcribi non poteſt. Satis eſt cives honeſtè fuiſſe inſtitutos: hi ſua ſponte videbunt, quid pro tempore facto ſit opus. *Plut. in Lacon.*

Aristoteles crebrò taxabat Athenienſes, quòd cùm duas res, frumenta ac leges, inveniſſent, frumentis uterentur, legibus nequaquam. Alludens ad Triptolemum Athenienſem, cujus miniſterio Ceres uſa eſt in ſerendis legibus ac tritico. *Laert. lib.* 5.

Anacharſidi illud tribuitur multò vulgariſſimum, quod etiam & Soloni, leges aranearum telis eſſe ſimiles, in quibus infirmiora animalia hærerent, valentiora perrumperent. Ita H leges humiles ac tenues conſtringunt, & potentibus impunè violantur. *Val. l. 7. cap. 2. Laert. l. 1. cap. 3.*

Agis, quum è ſenioribus quidam, videns priſcas leges, & inſtituta vetera aboleri, & alia prava ſuccedere, atque ob id res Spartanorum inverti, & converti: id, inquam, cùm apud Agidem jam ſenem deploraret, joco reſpondit: Si ſit, inquit, quod narras, recto ordine res procedunt. Siquidem ego puer à patre audivi, quòd jam tum illis temporibus res inverterentur. Itaque ſi rurſus invertuntur, redierunt in locum priſtinum. Hoc quidem ille ludens, cęterùm ſeriò dicebat, ſe puerum hoc quoque accepiſſe à patre, nihil eſſe mirum, ſi præſentibus ſuccedant deteriora, ſed mirandum, ſi ſuccedant meliora, aut ſimilia. Notavit peculiarem ſenibus querelam, de rebus in deterius prolapſis, ſimulque rerum humanarum hanc eſſe naturam, ut uſque in pejus degenerent.

Heraclitus dicebat, non minùs oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus, quòd abſque mœnibus civitas incolumis eſſe poſſit, abſque legibus minimè. *Laertius.*

Ut

A Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine legibus, ſuis partibus, ut nervis ac ſanguine, & membris, uti non poteſt. Leges Solonis & Lycurgi enumerat *Laert. in eorum vitis.* Solon interrogatus, qui civitas benè regi poſſet? reſpondit, ſi principes, & majores ſecundùm leges vixerint. *Valer. Max. lib.* 3.

Idem roganti, qua tandem ratione ſalva eſſe poſſet Reſpublica? reſpondit, ſi Cives obediant magiſtratui, magiſtratus autem legibus. *Stobæus Maxim. ſerm.* 10.

Inter leges quas Lycurgus ſenior tuliſſe fertur, una erat, ne qua mulier maritata proficiſceretur Eleuſynem: id ſtatuit ne à divitibus dato pretio corrumperentur. Eſt autem addita pœna, drachmarum ſex millia. Ei legi cum uxor Lycurgi non obtemperaſſet, ſycophantis, qui deprehenderant ac detulerant, dedit talentum. Ea res quum illi poſtridie vitio daretur apud populum: Atqui ego, inquit, dare conſpectus ſum, non accipere. Quidam ferunt leges ad quæſtum. Hanc notam à ſe depulit, qui nec in uxoris gratiam voluit abrogare legem, ſed mulctam de ſuo dependit. *Eraſ. l. 8. Apoph.*

B Acrotatus, cum parentes eum rogarent, ut in re parùm honeſta ipſis obtemperaret, reſpondit: Donec eſſem apud vos, nullam omninò tenebam juſtitiæ, & æquitatis ſcientiam: verùm ubi me patriæ dediſtis, legibuſque ſubjeciſtis, conabor his magis obtemperare, quàm vobis. Quo dicto innuere voluit, quamplurimum quidem filios debere parentibus ſuis: verùm ita tamen, ne leges ſaluberrimè latas transgrediantur. *Plut. in Lacon. Apopht.*

Demaratus cuidam percontanti, cur exularet Sparta, cum eſſet rex? Quoniam, inquit, leges ſunt in ea potentiores: ſignificans, regem apud Lacedæmonios eſſe principem civitatis, non legum dominum, ſed his non minùs obnoxium, per quas cogebatur exulare. Dedit interim inſigne moderationis ſpecimen, æquo animo ferens exilium authoritate legum indictum, nec de patria malè loquens, nec de legum iniquitate querens. *Idem.*

Pausanias Pliſtonactis F. cuidam roganti, Quam ob rem apud Spartanos nefas eſſet, ullam priſcarum novare legum? Quoniam, inquit, legibus convenit authoritas in homines, non hominibus in leges. *Plut. in Lac.*

C Archidamus Zeuxidami F. roganti, quinam eſſent Spartanæ civitatis præfecti? Leges, inquit, ac legitimi magiſtratus. Graviter cenſuit, in republ. benè inſtituta ſupremam auctoritatem eſſe legibus deferendam, nec ulli magiſtratui fas quicquam contra leges publicas tentare. *Plut.*

Agesilaus in pugna Leuctrica, quum Lacedæmoniorum multi fugiſſent, inque legibus pœnas dare deberent: Ephori reputantes civitatem viris deſertam egere militibus, cupiebant eam ignominiam militibus remittere, ſimulque ſervare leges. Deligunt igitur Ageſilaum novarum legum conditorem. Is prodiens in ſuggeſtum: Ego, inquit, alias leges haudquaquam laturus ſum; neque enim his quas habetis, aut additurus ſum aliquid, aut detracturus, neque quicquam omnium mutaturus. Sed mihi rectum videtur, ut leges quas habetis, à die craſtino robur habeant, & authoritatem. Eo commento vir ſolers ſimul & præſenti civitatis neceſſitati conſuluit, & periculoſum mutandarum legum exemplum excluſit à Republica, uno tantùm die legibus abrogatis. *Plut. in Lac. Apopht.*

Idem quum haberet apud ſe Xenophontem illum ſapien- D tem, cumque plurimi faceret, juſſit, ut filios ſuos arceſſeret Lacedæmonem, docendos artem omnium pulcherrimam, videlicet imperare, & parere imperio. Athenis florebat omnium liberalium diſciplinarum genus, ſed hanc cæteris omnibus præſtantiorem exiſtimabat nuſquam meliùs diſci, quàm apud Lacedæmonios, ubi non verbis diſputabatur de benè adminiſtranda republ. ſed civium moribus honeſtiſſimæ rei exemplum exprimebatur. Simul indicans, eos non eſſe gerendo magiſtratui idoneos, qui legibus ac magiſtratui neſcirent obſequi. Proinde rogatus abs quopiam, quam ob rem Spartanorum reſpublica præ cæteris ſecundis rebus floreret? Quoniam, inquit, plus cæteris in hoc ſe exercent, ut pariter, & imperare, & parere ſciant. Quæ duæ res à civibus excludunt ſeditiones, & tuentur concordiam. *Idem.*

Sciſcitante quodam ab Ageſilao Lacedæmoniorum rege, quid Spartæ attuliſſent Lycurgi leges? Voluptatum, inquit, contemptum. Videlicet indicans, eam demùm Rempublicam eſſe ſalvam, in qua leges ſub optimo principe omnes voluptates arcent. *Plut. in Apoph. Lac. Eraſ. in apoph.*

Idem, quum maximam Aſiæ partem armis ſibi ſubegiſſet, E conſtituerat ad ipſum regem Perſarum proficiſci, ut eum compeſceret, qui ſic erat quietus à bello, ut interim Græcorum duces pecunia corrumperet. Cæterùm revocatus domum ab Ephoris, ob Spartam Græcorum obſidione cinctam (nam id rex Perſarum pecuniis miſſis effecerat) paruit, dicens: Bonum Imperatorem legum imperatis parere oportere; citraque cunctationem ſolvit ex Aſia, magno ſui deſiderio relicto Græcis Aſiaticis: offerebatur rei benè gerendæ occaſio, invitabat illum Græcorum affectus, ut inſtituta perageret; ſed rex à tyrannide alieniſſimus, legum authoritatem exiſtimabat omnibus anteponendam. *Idem.*

Cyrus interrogatus, quoſnam putaret eſſe injuſtos? Lege inquit, non utentes. *Max. ſerm.* 58.

Antiochus tertius ſcripſerat civitatibus, ut ſi quid per literas juberet fieri, quod adverſaretur legibus, ne curarent, perinde quaſi ipſo neſcio ſcriptum eſſet. Interdum enim principes, dum metuunt quoſdam offendere, ſcribunt quæ fieri nollent. Quicquid autem pugnat cum legibus, hoc velut inſciente principe ſcriptum eſſe putandum eſt: quippè legum defenſores, non oppugnatores eſſe debent principes. F *Eraſ. l. 5. apoph. ex Plut.*

Augustus Cæſ. legem tulerat de adulteris, quomodo judicandi eſſent de hoc crimine delati, & quomodo puniendi convicti. Paulò poſt iræ impatientia irruit in adoleſcentem delatum, quòd cum Julia Auguſti filia commercium habuiſſet. Legem tuliſti, ò Cæſar? adeò facti pœnituit Cæſarem, ut eo die recuſaret cœnam capere. Crimen per ſe grave erat, tùm admiſſum in Cæſaris filiam. Quis princeps ibi dolori ſuo temperaret? Aut quis ibi legum judiciorumque moras expectaret? At tantus princeps ſibi adeò diſplicuit, ut à ſeipſo pœnas ſumeret, quòd legi, quam aliis prodiderat, non omninò paruiſſet. *Plut. in Apoph.*

De Epicteto multa extant de legibus ſcitè dicta. Inter hæc Legis ſcopus eſt, benè mereri de vita hominum: non poteſt autem cuivis benefica eſſe, cùm ei beneficium accipere libuerit: ſolis enim obedientibus ſuam virtutem declarat. Ægri ſervator eſt medicus: injuriam paſſi, lex. Leges veriſſimæ ſunt, quæ juſtiſſimæ: legi & principi, & ſapientiori cedere decorum eſt. *Anton. in Max. ſerm. de lege.*

Theophrastus dicebat, bonos non multis egere legibus, G non enim res ipſæ legum cauſa, ſed leges rerum cauſa ponuntur. *Eod. ſer.*

Cleobulus benè compoſitam Rempubl. putabat, ubi magiſtratus magis infamiam, quàm leges metuunt. *Stob. ſerm.* 41.

Bias, eam Rempub. ſalvam fore exiſtimabat, in qua leges perinde ac tyrannum omnes metuant. *Idem.*

Architas Pythagoreus, leges regionum, & locorum rationem habere debere dicebat, quum nec omne ſolum ferat omnia, nec omnium hominum animi earundem virtutum capaces ſint. *Stob. ſer. eodem.*

Antisthenes negabat ſapientem vivere juxta leges, ſed juxta normam virtutis. Sentiens, non ideò quid vitari à juſto, quòd hoc agere legibus interdictum ſit, ſed quòd ipſa hominis ratio hoc diſſuadeat, quæ docet hominem, hoc eſſe honeſtum, illud turpe. Nec leges omnia præſcribunt, at virtutis regula docet ubique, quid ſit honeſtum, quid turpe. *Idem.*

Plato dicebat, neceſſe eſſe leges hominibus ponere, ut ſecundùm eas vivant, alioqui nihil à feris diſcreparent: hujuſ- H que rei cauſam eſſe, quòd nullius hominis ingenium ita natura inſtitutum eſt, ut quæ ad publicum humanę vitæ bonum conferunt, ſufficienter cognoſcat; & ſi cognovit, ut optimum id quod novit, ſemper agere poſſit ac velit, *lib. 4. de legib.*

Pittacus Crœſo percontanti, Quid eſſet maximum imperium? inquit, ποικίλȣ ξύλȣ, id eſt, varii ligni, leges innuens. Nam olim in tabulis ligneis leges inſcribebantur. Porrò ubi ſumma eſt legum authoritas, ibi eſt minimum tyrannidis. *Laert. l. 1. c. 5.*

Demosthenes, Civitatis animam eſſe leges dicebat. Ut enim corpus anima carens cadit, ſic civitas nullis adminiſtrata legibus evertitur. *Max. ſerm. 69. & Stob.*

Epicurus leges ſapientum cauſa poſitas eſſe dicebat, non ut injuriis abſtineant, ſed ne eis afficiantur. *Stob. ſerm.* 41.

Plato rogatus à Cyrenenſibus, ut ipſis leges ſcriberet, ac Reipublicæ ſtatum componeret, recuſavit, dicens, Perdifficile eſſe condere leges tam felicibus. Indicans, non facilè obedire legibus eos, qui nimiùm ſe felices eſſe putarent. *Laertius lib.* 3.

Arce-

A Arcesilaus dicere ſolitus eſt: Quemadmodum ubi multi eſſent medici, ibi multi ſunt morbi, ita ubi permultæ leges eſſent, ibi plurimum eſſe vitiorum. *Laert. lib.4. cap.6. Maxim. ſer.58.*

Cleon multò meliorem dicebat eſſe ſtatum civitatis, quæ & deterioribus, firmis tamen legibus utitur, quàm illius quæ bonis quidem, ſed irritis. *Thucid. l.3.*

* Christianorum.

Ad leges rurſus narrationem flectimus, ſine quibus nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, neque mundus ipſe diu poteſt, quas non ita ab omnibus æqualiter obſervari, quæ tamen omnes æqualiter obſtringebant, indoluit quandoque Pius V. Pont. & veterum illud uſurpabat: Leges ſunt velut aranearum telæ, quibus muſcæ irretiuntur, quaſque hirundines perrumpunt. Hinc vulgus etiam non ineptè per aranearum telas ac retia, hieroglyphicè Legum notat inæqualitatem; ut dicetur infrà. *Beyerlinck in Apopht. Chriſt.*

Haud aliter Pius II. licèt ætate in hoc ſacro ordine prior, ſenſit, cujus illa vox: Leges ſanctæ ſunt, & vaganti fræna B licentiæ imponunt: eæ tamen in plebem vim habent, in potentes mutæ ſunt. *Platina in vita.*

Liberius Pont. Conſtantio Imp. ſibi dicenti, hæreticarum Eccleſiarum communionem amplecteretur, & ſic Romam, qua exulabat, rediret, reſpondit: Jam Romæ fratribus valedixi: nam leges Eccleſiaſticas obſervaſſe, pluries faciendum cenſeo, quàm Romæ habuiſſe domicilium. *Ex Theod. l.2. c.27. Beyer. ſupr.*

Neque tantùm Legum obſervantiam in pretio habuiſſe laudem meretur; ſed & iniquas præcaviſſe, ſuam gloriam habet. Ita Ludovico XI. Gall. Rege exitium Curiæ Pariſiorum minitante, niſi latas à ſe leges iniquiſſimas promulgarent & approbarent; re intellecta, Regem adeunt Patres; quos cùm ille rogaret, Quanam de cauſa huc adveniſtis? aliorum nomine Lavacrius, Ut mortem, reſpondit, oppetamus potiùs, quàm iniquas leges ferri patiamur. Rex tali reſponſo permotus, leges ſcriptas manu dilaceravit. *Ex Bodino in Method. hiſt. cap.6. Idem.*

Quid verò ante illum Carolus, quem fortitudo, conſtantia, pietas, Magni nomine apud poſteros decoravit? Ille C capulo cui inſignia propria inſculpta erant, edicta ſignabat: dicebat enim, Ejuſdem eſt, & confirmare, & defendere leges. *Ex Corrozet. de Dict. & Fact. memorab. Idem.*

Æquiſſimum autem eſſe illud Auſonii,

Pareto legi, quiſquis legem ſanxeris,

oſtendit ſuo dicto Alphonſus Aragonius, cui frequens in ore: Ineptè agunt Principes, qui aliis honeſtè beatèque vivendi leges proponunt, ipſi verò nihilo temperantiores melioreſque ſe præbent. *Panor. lib.5. de Geſt. ejuſd.*

Ludovicus XII. Gall. R. cùm ſubpræfectum Aurelianenſem, quocum familiariter fuerat uſus, quemque ſæpius injuſtitiæ reum liberarat, capite damnaſſet, admirantibus nonnullis, Contendi, inquiebat, privatus pro amico: regnum adeptus leges tueri debeo. Non ignorabat, quòd

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet,
Cœptaque ſunt purè tradita ſacra coli.
Exuitur feritas, armiſque potentius æquum eſt:
Et cum nive pudet conſeruiſſe manus.

Ex Annalib. Franc. Beyerlinck ſupra.

Alia mente Vitoldus Lituaniæ Dux, cui pro deliciis erat, D differentem ſe moribus, & habitu è popularibus præbere, ac dicere: Plebs legi, Principi lex ſubjecta eſto; quaſi magiſtratum, utpotè legum cuſtodem fideliſſimum, non deceat primùm imperatis parere, ut ſubditi ad eorum imitationem incitentur. *Æn. Syl. Comm. in Res geſt. Alfonſi.*

* Hieroglyphica.

Coronam dicimus legum indicium eſſe, propterea quòd certis eſt vinculis complicata, quibus vita noſtra veluti religata coercetur. *Pier. Val. lib.41.*

Iugum etiam pro legum hieroglyphico rectè ponetur: ſiquidem appellatione jugi legum onus fuerit etiam à Davide nuncupatum: omninò verò leges pro ſubjugatione, & imperio, viciſſim à *Marone* dictum:

Legiſque viris & mœnia ponet. Idem lib.48.

Vulgus autem non ineptè per *Aranearum telas* ac retia, apto admodùm hieroglyphico, legum notat inæqualitatem, propterea, quòd veluti muſcæ, & volatilia alia minuta, ſi in eas inciderint, capiuntur, & pereunt: fortiora verò animalia perrupto texto facilè quoque libuerit elabuntur: ita leges imbecillem ac tenuem plebeculam cohibent atque caſtigant, potentioribus verò nihil adverſantur, qui eas ex arbitrio tollunt, ſcindunt, abrogant, interpretantur, & refugiunt. E *Idem l.26.*

DE LEGIBUS GENERALIORIBUS QUÆDAM IN PARTICULARI, Ac primùm

* DE LEGE VETERI In Genere.

Quid Sit. Quando. A Quo. Quibus Data.

De lege ſcripta ſive Moſaica in præſenti agitur. Cujus elegans, & luculentum encomium David toto Pſal. cxviii. complectitur, vocans inter alia nomina eam lucernam, & lumen, & juſtitiam, item judicia juſtitiæ divinæ, eloquia Domini, &c.

Solet autem legis nomen reſtringi ad Decalogum, qui propriè lex vetus dicitur, quòd quaſi omnium legum ſit compendium. Alioquin nos hìc univerſaliùs eam vocem uſurpamus, plures enim leges veteri populo à Deo datæ fuerunt, ut ſtatim patebit.

Fuit verò lex Decalogi data menſe tertio, die tertia, quando cum Moyſe populus aſcenderat in Sina, ut colligitur F *Exod. c.19. & 20.* qua de re conſulatur *Titulus de Decalogo*. Interim certum eſt, auctorem & datorem legis eſſe Deum, qui uſus miniſterio Angelorum ſuorum (plures enim fuiſſe quidam colligunt, ex illo *Actor.7.* Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum;) eam per Moyſen promulgavit proximè; neque enim ante illum fuit lex aliqua divina poſitiva, præcepta continens, per quæ homines ad peculiarem aliquem ſtatum ordinarentur; quamvis non ſit improbabile, Deum peculiare nonnunquam præceptum pro illo tempore opportunum in ſtatu naturæ dediſſe: quomodo etiam in ſtatu innocentiæ dederat primis parentibus.

Fuit ergo inſigne & prædicandum beneficium, populo veteri Hebræorum gratuitò datum, lex ipſa, idque à Deo tanquam principali auctore, quamvis miniſterio Angelorum; quod non modò de Decalogo intelligi debet, ſed de tota lege ſcripta, ut ſonat compendium plurium legum, & traditur à Moyſe in quinque libris, quos Pentateuchum nominamus. *Videatur S. Th. 2.2. q.98. art.2. & 3.* Omninò enim probabile eſt, tam promulgationem primam præceptorum Decalogi, quàm aliorum cæremonialium, judicialium, & mixtorum, factam miniſterio Angelorum, formantium voces, quas populus audiebat. Quoad univerſum verò populum, per Moy- G ſen lex data fuit, tanquam per proximum promulgatorem.

Quibus Cæremoniis.

Septem mirabilia memorantur *Exod.19.* quando in Sina lex data fuit. Primò, totus mons fumabat, & tremebat. Secundò, totus mons ardebat. Tertiò, horrenda erant tonitrua, & fulgura. Quartò, erat caligo denſiſſima. Quintò, pluvia & procella. Sextò, ſonus buccinæ perſtrepebat. Septimò, Angelus è Sina voce tubali, & horribili Decalogum proclamabat. Quæ omnia eò tendebant, ut Hebræi ſacro quodam horrore correpti, reverentiam cum Numinis, tum legis accepturæ ſibi conciliarent. Videatur *c.19. Exodi.*

Quo Fine.

Finis veteris legis fuit bonus, & honeſtus, ſpiritualis etiam, & ſupernaturalis, qui erat ſanctitas illius populi, ejuſque felicitas per bonos mores in hac vita, veramque ſanctitatem; in altera verò per æternam felicitatem. Item dabatur ad augendam, & ad ſerendam fidem in Chriſtum venturum, & præparandum peculiarem populum ad ipſius adventum. Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti, *ad Rom.10.* Finis tamen adæquatus legis veteris fuit, inſtruere H populum Dei honeſtè, & convenienter, tam in his quæ ad naturalem rectitudinem, quàm in illis quæ ad cultum divinum pertinent; ut colligitur *ex cap.19. Exodi.* Imò ſingula præcepta habuerunt ſuos fines particulares, & immediatos. Videatur *S. Thom. in c.5. ad Romanos.*

Obligatio Et Effectus.

Lex vetus obligabat in conſcientia ad ſui obſervationem; nam per illius tranſgreſſionem incurrebatur culpa, & pœna coram Deo, imò & reatus pœnæ æternæ; & obtinet in omni lege, juxta illud Moyſis *Deut.6.* Hęc ſunt præcepta, & ceremoniæ atq; judicia, quæ mãdavit Dominus. Quamvis velint DD. legem veterem, ut poſitivam, non obligaſſe per negativa præcepta cũ vitę periculo, ut patet in lege Sabbati, quæ Machabęos nõ obligabat, quò minùs illo pugnarent. *1. Mach.2.*

Permiſſiones quoque nonnullæ per modum diſpenſationis fuerunt effectus illius legis: tales erant permiſſio plurium uxorum, libelli repudii, mutuandi cum uſura alienigenis.

A Denique habebant effectus pœnales, ut per ſe notum eſt, Irregularitatem etiam circa perſonas, ob quaſdam occaſiones & actus. Inſuper conferebant præmia ſe ſervantibus. De quibus paulò ante, *Tit. legis tranſgreſſio, & obſervatio, totumque pœnæ, & præmia.*

An Abrogata. Quando.

Plurimi Phariſæorum, & Hæreticorum in ea fuerunt ſententia, legem veterem fuiſſe perpetuam, & nunquam abrogandam, quamdiu ſtatus hominum viatorum duraret. At omninò dicendum, legem per Moyſem promulgatam, poſt Chriſti adventum abrogatam, ejuſque obligationem ceſſare: eſt definitum *Act. cap.15.* in primo Conc. Jeroſolymitano, utputa in cujus locum ſucceſſerit lex Euangelii toti mundo propoſita, ut ex omnibus congregaretur Eccleſia tam Judæis, quàm Gentibus. Dicitur tamen ſæpè æterna, quia nullo certo termino fuerit præſcripta, quamvis talis à legiſlatore proximo fuerit in mente definitus.

Ceſſavit ergo lex vetus quoad Cæremonialia omnia, utpotè futurorum ſignificativa, & velut umbræ veritatis traditæ: Quoad judicialia, idem quoque dicendum, & apertè docet S. B *Thom. q.105. art.3.* De legibus moralibus aliquorum ſententia eſt, abrogatas non eſſe, ut quas Chriſtus adimplevit ſuperaddendo conſilia. Reſtringunt nonnulli id intelligi, quatenus erant præcepta legis naturalis, quæ ſunt immutabilia. Alii tamen cenſent, Chriſtianos ex vi præcepti Moſaici ad illa non obligari poſt diem Pentecoſtes, quo nova lex data, & promulgata fuit; ut ſtatim dicemus ſequenti proximè *Tit. de lege Euangelica.*

Quia leges Moſaicæ, ſive veteris teſtamenti, plurima ſunt, eæque ſparſim, & confusè toto Pentateucho proponuntur, & commiſcentur, viſum eſt, eas omnes in ſuas claſſes diſtribuere, unicaque quaſi ſynopſi ob oculos ponere.

* SYNOPSIS OMNIUM LEGUM AC PRÆCEPTORUM QUÆ DEUS MOYSI DEDIT, Collecta ex Pentateucho.

Per Cornelium à Lapide è Societ. Ieſu Theologum.

C Leges, ſive præcepta Moſaica alia ſunt
- Simplicia, alia ſunt
  - Moralia ſive naturalia.
  - Cæremonialia.
  - Judicialia.
- Miſta, alia ſunt
  - Moralia & Cæremonialia ſimul.
  - Moralia & judicialia ſimul.
  - Cæremonialia & judicialia ſimul.
  - Moralia, cæremonialia, & judicialia ſimul.

Præcepta moralia, ſive Decalogi.

Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes: non habebis deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, non adorabis ea, neque coles. *Exod.20.4.* Huc pertinent, & hoc explicant, ſequentia.

1 Audi Iſrael: Dom. Deus noſter unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Deut.6.4.*

2 Erunt hæc verba in corde tuo, narrabis filiis tuis, meditaberis ſedens, & ambulans, dormiens, atque conſurgens. *Ibid.*

3 Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis. *Deut.6.16.*

D 4 Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. *Levit.19.2.*

5 Non inveniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec divinos, & quærat à mortuis veritatem. *Deut.18.20.*

6 Perfectus eris, & abſque macula cum Dom. Deo tuo. *Ibid.*

7 Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies. *Ibid.15.*

8 Si ſurrexerit prophetes, frater, filius, filia aut uxor, & dixerit: Eamus, & ſerviamus diis alienis, non acquieſces; ſed ſtatim interficies. *Deut.13.2. & 6.*

9 Non facietis deos aureos, vel argenteos. *Exod.20.23.* Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem, ut adoretis eum. *Levit.26.1.*

10 Non adores, nec colas ſolem, lunam, ſtellas, &c. *Deut.4.19.* Quia Dom. Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus æmulator. *Ibid.24.*

11 Diſſipate aras deorum, & Gentium confringite ſtatuas, E lucos comburite, idola comminuite, diſperdite nomina eorum de locis ſuis. *Exod.12.3.*

12 Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. *Deut.4.2.*

Secundum.

Non abſumes nomen Dom. Dei tui in vanum; nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui id fecerit. *Exod.20.7.* Huc pertinent, & hoc explicant, ſequentia.

1 Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore veſtro. *Exod.23.13.*

2 Per nomen Domini Dei tui jurabis. *Deut.6.13.*

3 Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: Ego Dominus. *Levit.19.12.*

4 Cùm votum voveris Dom. Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dom. Deus tuus: quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo. *Deut.23.21. & 22.*

5 Qui maledixerit Deo, & blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur. *Levit.24.15.*

Tertium. F

Memento, ut diem ſabbathi ſanctifices, non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & ſeptimo die requievit. *Exod.20.8.*

Quartum.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. *Ibid.12.* Huc pertinent, quæ ſequuntur.

1 Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. *Exod.22.28.*

2 Judices, & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum juſto judicio. *Deut.16.18.*

3 Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum. *Ibid.*

4 Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum. *Levit.19.32.*

Quintum.

Non occides. *Exod.20.13.* Huc pertinent.

1 Ne oderis fratrem in corde tuo. *Levit.16.17.*

2 Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Ibid.*

3 Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum. *Ibid.14.*

4 Proximum vi non opprimes. *Ibid.11.*

5 Non interficientur patres pro filiis, nec filii pro patribus. *Deut.24.26.*

Sextum.

Non mœchaberis. *Exod.20.13.* Huc pertinent.

1 Prohibitiones matrimonii, & copulæ cum patre, & matre. *Lev.19. v.7.* cum noverca, *v.8.* cum ſorore, *v.9.* cum nepte, *v.10.* cum ſorore & privigna, *v.11.* cum amita & matertera, *v.12. & 13.*

2 Rurſum in gradibus affinitatis, cum uxore patrui, *v.14.* cum nuru, *v.15.* cum uxore fratris, *v.16.* cum filia & nepte privigna, *v.17.* cum ſorore uxoris, *v.18.*

3 De ſemine tuo non dabis idolo Moloch. *Ibid.21.*

4 Cum omni maſculo non commiſcearis. *Ibid.*

5 Cum omni pecore non coibis. *Ibid.*

6 Ne proſtituas filiam tuam. *Lev.19.29.*

7 Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael. *Deut.23.17.* H

Septimum.

Non facies furtum. *Exod.20.* Huc pertinent.

1 Non decipiet unuſquiſque proximum ſuum. *Lev.19.11.*

2 Non contriſtabis, nec affliges advenam, & peregrinum, quia & vos peregrini fuiſtis in Ægypto. *Exod.22.21.*

3 Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeris eos, clamabunt ad me, & ego exaudiam eos, percutiamque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli. *Ibid. & Deut.10.18.*

4 Nolite facere iniquum aliquid in regula, in pondere, in menſura. *Levit.19.35.*

5 Statera juſta, & æqua pondera ſint, juſtuſque modius, æquuſque ſextarius: Ego Dominus. *Ibid.*

6 Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major, & minor. *Deut.25.13.*

7 Non transferes terminos proximi tui. *Deut.19.14.*

8 Non facies quod iniquum eſt, nec injuſtè judicabis: non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. *Levit.19.15.*

A 9 Qui percuſſerit animal, reddet vicarium, id eſt animal pro animali. *Levit.*24.12.

OCTAVUM.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. *Exod.*20.24. Huc pertinent

1 Non ſuſcipies vocem mendacii. *Exod.*23.1.

2 Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies. *Ibid.*

3 Mendacium fugies. *Ibid.*7.

4 Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. *Lev.*19.16.

5 Non facies calumniam proximo tuo. *Ibid.*13.

NONUM.

Non concupiſces uxorem proximi tui. *Deut.*5.20.

DECIMUM.

Non concupiſces domum proximi tui, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt. *Ibidem.*

* SYNOPSIS.

OMNIUM LEGUM ET PRÆCEPTORUM

B JUDICIALIUM. QUÆ VETERI POPULO A DEO DATA.

Ex eodem Pentateucho.

Judicialia.
1 Regis.
2 Belli.
3 Matrimonii & repudii.
4 Homicidiorum.
5 Cædis animalium.
6 Teſtis.
7 Servi & ancillæ.
8 Beſtiarum.
9 Mercenariorum, peregrinorum, & pauperum.
10 Pignorum.
11 Uſurarum.
12 Furtorum & damnorum.
13 Depoſiti.
14 Commodati.

I. Judicialia Regis.

Regem delige ex gente tua, iſque non multiplicet, 1. equos, 2. uxores, 3. opes, 4. Deſcribat legatque aſſiduè Deuterono-
C mium, 5. Superbè non efferat ſe ſupra populum. *Deut.*17.14. *& ſeq.*

II. Judic. belli.

1 Si exieris ad bellum, ſtabit ſacerdos ante aciem, dicetque: Audi Iſrael, nolite metuere, nolite cedere, quia Dominus in médio veſtri eſt. *Deut.*20.1.

2 Duces quoque proclamabunt, ut qui ædificarunt novas domos, aut vineas, item ſponſi & pavidi, domum redeant. *Ib.*5.

3 Quando egreſſus fueris adverſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala. *Deut.*23.9.

4 Si urbs ſe dedat, fiat tributaria; ſin vi expugnetur, maſculi omnes occidantur, præter infantes: in Chananæa autem omnes omninò, etiam fœminæ & infantes, occidantur. *Deut.* 20.13.

5 Arbores frugiferas juxta urbem ne cædas, ſed infrugiferas, ut ex iis machinas bellicas inſtruas. *Ibid.*19.

6 Fac duas tubas argenteas ductiles, quibus convoces populum, cùm movenda ſunt caſtra. *Num.* 10.

7 Si exieritis ad bellum, clangetis ululantibus tubis, & Deus recordabitur veſtri, dabitque victoriam. *Ibid.*9.

D 8 Delebis memoriam Amalec ſub cœlo. *Deut.*25.19.

9 Delebis Chananæos omnes. *Exod.*23.33.

III. Judic. matrimonii, & repudii.

1 Matrimonium nemo contrahet in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis prohibitis. *Lev.*18.

2 Ad mulierem quæ patitur menſtrua, non accedes. *Lev.*18. 19.

3 Si frater mortuus ſit ſine liberis, uxorem ejus accipiet frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratri ſuo, & primogenitum nomine illius nominabit. *Deut.*25.5.

4 Sin noluerit, uxor fratris coram ſenioribus tollet calceamentum de pedibus ejus, & ſpuet in faciem ejus, vocabiturque Domus diſcalceati. *Ibid.*

5 Si uxor non invenerit gratiam in oculis mariti ob aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam. *Deut.*24.1.

6 Si uxor dimiſſa nupſerit ſecundo marito, & ille deinde dimiſerit eam; non poterit illa ad priorem maritum reverti. *Ibid.* 3.

7 Si quis in bello captam mulierem alienigenam, ob pulchritudinem adamarit, introducet eam in domum ſuam, quæ E radet caput ſuum, & præcidet ungues, ac mutabit veſtem, flebitque patrem, & matrem per menſem; quo expleto, accipiet eam in uxorem: ſi poſteà ei diſplicuerit, non vendat, ſed liberam eam dimittat. *Deut.* 21.11.

8 Si maritus habuerit duas uxores, unam dilectam, alteram odioſam, & filius odioſæ fuerit primogenitus, dabit ei jura primogenituræ, nec præferet ei filium dilectæ. *Ibid.* 15.

9 Puellæ, quæ, deficiente prole maſcula, hæredes ſunt patris ſui, nubant in tribu ſua, non in aliena. *Num.*36.7.

IV. Judic. circa homicidia.

1 Qui percuſſerit & occiderit hominem, morte moriatur. *Levit.*24.17.

2 Non accipies pretium ab eo, qui reus eſt ſanguinis; ſed occides eum ſine miſericordia. *Num.*35.31.

3 Qui irrogaverit maculam, ſicut fecit, ſic fiet ei, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet. *Levit.*24.19.

4 Qui caſu, vel ignorans occiderit hominem, fugiet ad civitates refugii, ibique manebit uſque ad mortem Pontificis. *Num.*35.25.

5 Si extra urbes refugii deprehendatur, propinquus occiſi interficiet eum. *Ibid.* 19. F

6 Qui percuſſerit virum lapide, ſi ſurrexerit ille, & ambulaverit foris, percutiens operas ejus, & impenſas in medicos reſtituet. *Exod.*21.19.

7 Qui percuſſerit ſervum, vel ancillam virga, & illi mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. *Ibid.*

8 Sin autem uno die, vel duobus ſupervixerint, non ſubjacebit pœnæ, quia ſervus eſt, qui pecunia eſt emptus. *Ibid.*

9 Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, pendet percuſſor id, quod arbitri judicabunt. *Ibid.*

10 Sin autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. *Ibid.*

11 Si percuſſerit quis oculum ſervi aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit: pari modo ſi dentem eis excuſſerit. *Ibid.*

12 Qui furem diurnum occidit, occidatur. *Exod.*22.3.

13 Facies murum tecti per circuitum, ne quis ex eo labatur, ſiſque ſanguinis reus. *Deut.*22.8.

14 Suſpenſi cadaver non manebit in ligno, ſed eadem die G ſepelietur, quia maledictus omnis qui pendet in ligno. *Deut.*21.22.

15 Si quem judices plagis dignum judicent, pro menſura delicti, erit & plagarum modus, ſed numerum quadragenarium non excedet. *Deut.*25.3.

16 Si rixati fuerint duo viri, & uxor unius apprehenderit verenda alterius; abſcindes manum illius. *Deut.*25.11.

V. Judic. circa cædem animalium.

1 Qui percuſſerit animal, reddet aliud. *Lev.*24.21.

2 Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur. *Ibid.*

3 Si bos cornupeta fuerit, & conteſtati ſunt dominum, nec recluſerit eum, occideritque hominem, bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident. *Ibid.*

4 Si ſervum, vel ancillam invaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit; bos verò lapidibus opprimetur. *Ibid.*

5 Si quis aperuerit ciſternam, cecideritque bos aut aſinus in eam, reddet dominus ciſternæ pretium jumentorum, quod H autem mortuum eſt, ipſius erit. *Ibid.*

6 Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit; vendent bovem, & divident pretium, cadaver quoque mortui inter ſe diſpertient. *Ibid.*

7 Si enim ſciebat, quòd bos cornupeta eſſet, & non cuſtodivit eum dominus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet. *Ibid.*

VI. Judic. teſtis.

1 Non ſtabit teſtis unus contra aliquem, ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum. *Deut.*19.15.

2 Teſtis falſus crimen talione luat, detque animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. *Ibid.*

3 Manus teſtium prima lapidet colentem deos alienos, deinde manus reliqui populi. *Deut.*17.7.

4 Teſtis, niſi indicaverit id quod vidit, aut ſcit, portabit iniquitatem ſuam. *Levit.* 5.1.

VII. Judic. ſervi & ancillæ, id eſt ſervæ.

1 Non trades ſervum domino ſuo, qui ad te confugerit. *Deut.*23.15.

2 Si

A 2 Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi, & in ſeptimo egredietur liber gratis. *Exod.*21.1. Non dimittes eum vacuum, ſed dabis ei viaticum. *Deut.*15.14.

3 Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat; ſi habens uxorem, & uxor egrediatur ſimul. *Ibid.*

4 Sin dominus dederit illi uxorem, & peperit filios, mulier & liberi erunt domini ſui; ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo. *Ibid.*

5 Si uxorem & proles nolit dimittere ſervus, judices ad poſtem aurem ejus perforabunt ſubula, & ſervus erit domino ſuo in ſæculum, id eſt, uſque ad Jubilæum. *Ibid.*

6 Hebræa in ſervam emi nequit, niſi herus promittat, ſe eam ſibi vel filio in uxorem accepturum: quòd ſi illa poſteà ei diſplicuerit, non vendet eam, ſed liberam dimittet. *Ibid. verſ.*7.

7 Si eam filio uxorem dederit, & inſuper aliam ei ſuperinduxerit, curabit, ut priori, ſcilicet ſervæ, jus conjugale conſtet cum congruo veſtitu, & pretio pudicitiæ, id eſt, ſuſtentatione uxori debita: ſi tria iſta non fecerit, egredietur ſerva gratis, fietque libera. *Ibid.*

8 Si paupertate compulſus, vendiderit ſe tibi frater tuus,
B non eum opprimes, ſed quaſi mercenarius operabitur apud te uſque ad jubilæum, tumque cum liberis ſuis liber egredietur. *Levit.*25.39.

9 Servus & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuito veſtro ſunt, & de advenis. *Ibid.*44.

10 Si quis Hebræus ſe vendiderit peregrino, unus è propinquis redimet eum pretio taxando pro rata annorum, qui ſuperſunt uſque ad jubilæum; quòd ſi redemptus refundere poſſit, exibit liber; ſin autem, ut mercenarius ſerviet propinquo redimenti ſe, uſque ad jubilæum. *Ibid.*47.

VIII. Judic. circa miſericordiam in beſtias.

1 In nido non accipies matrem cum pullis. *Deut.*22.6.

2 Si videris aſinum amici, vel inimici tui, ſub onere decumbere, erigendo eriges eum. *Deut.*22.4. *Exod.*23.5.

3 Non arabis in bove, & aſino. *Deut.*22.10.

4 Non coques hœdum in lacte matris. *Exod.*23.19.

5 Non alligabis os bovi trituranti. *Deut.*25.4.

6 Si videris bovem, aſinum aut pecudem, &c. fratris tui errare, colliges & reduces eum fratri tuo, etiamſi is tibi ſit
C inimicus. *Deut.*22.1.

7 Primogenitus bovis, ſeptem diebus ſit cum matre ſua, die octava offeres illum Domino. *Exod.*22.20.

IX. Judic. Circa mercenarios, peregrinos, pupillos, & viduas.

1 Non detinebis mercedem mercenarii uſque mane. *Levit.*19.13.

2 Ingreſſus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas. Idem fac in ſegete, & ſpicis. *Deut.*23.24.

3 Cùm meſſueris ſegetes, non tondebis eas uſque ad ſolum, nec remanentes ſpicas colliges, neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis; ſed pauperibus, & peregrinis capiendas dimittes. *Levit.*18.9.

4 Idem facies in olivis in olea poſt excuſſionem remanentibus. *Deut.*24.20. & in manipulo quem oblitus es in agro. *Ibid. v.*9.

5 Cura, ut in te non ſit indigens & mendicus. *Deut.*15.4.

6 Aperies manum pauperi, & dabis mutuum, eſto annus
D ſeptimus remiſſionis inſtet. *Ibid.* 7.

X. Judic. circa pignora.

1 Si pignus acceperis à proximo veſtimentum, ante noctem reddes ei, quia ipſum eſt, in quo dormit. *Exod.*22.26.

2 Non accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam, quia inde ipſe & alii vivunt. *Deut.*24.6.

3 Cùm repetes à proximo rem tuam, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. *Ibid.*10.

XI. Judic. circa uſuras.

1 Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; ſed alieno: fratri autem tuo abſque uſura, id quo indiget, commodabis. *Deut.*23.19.

2 Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes. *Exod.*22. 25.

XII. Judic. circa furta & damna illata.

1 Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit aut

vendiderit, quinque boves pro uno, & quatuor oves pro una E reſtituet. *Exod.*22.1.

2 Si vivens bos, aut aſinus, apud eum repertus fuerit, duplum reſtituet. *Ibid.*

3 Si non habet quod reddat, ipſe vendatur. *Ibid.*

4 Occidens verò furem nocturnum, innocens habeatur; occidens verò furem diurnum, occidatur. *Ibid.* 2.

5 Qui deliquerit, & damnum fecerit proximo, confitebitur peccatum ſuum, & reddet ipſum caput, quintamque inſuper partem ei, in quem peccavit. *Num.*5.5.

6 Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro aut vinea, pro damni æſtimatione reſtituat. *Exod.*22.5.

7 Si egreſſus ignis invenerit ſpicas, & comprehenderit ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccendit. *Ibid.*6.

8 Plagiarius, qui furatur hominem, ut vendat, occidatur. *Deut.*24.7.

XIII. Judic. circa depoſitum.

1 Si depoſitarius per fraudem rem depoſitam interverterit, reſtituet duplum. *Exod.*22.9. F

2 Si per negligentiam ejus res depoſita ſublata ſit furto, reddet ſimplum. *Ibid.*12.

3 Si ſine ejus negligentia & culpa res ſublata ſit, nihil reſtituet. *Ibid.* 10. & 11.

4 Si depoſitum, puta animal, occiſum ſit à beſtia, depoſitarius deferat ad deponentem id quod occiſum eſt, & nil aliud reſtituat. *Ibid.* 13.

XIV. Judic. circa commodatum.

1 Qui à domino aliquid commodato poſtulavit, ſi illud debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præſente, reddere compelletur. *Exod.*22.14.

2 Quòd ſi dominus præſens fuerit, non reſtituet, præſertim ſi commodatarius, vel conductor commodatum non acceperat gratis, ſed ejus uſum mercede conduxerat. *Ibid.*

LEGES CÆREMONIALES DATÆ A DEO HEBRÆORUM POPULO.

Item

MIXTÆ, PUTA CÆREMONIALES ET JUDICIALES SIMUL, MORALES inſuper & Cæremoniales. G

☞ *Require in loco de Cæremoniis. Ubi eorundem ſynopſis traditur.*

* LEGES MISTÆ, MORALES ET JUDICIALES SIMUL.

I. Circa quatuor prima Decalogi præcepta.

1 Maleficos non patieris vivere. *Exod.*22.18.

2 Qui immolat diis, occidetur. *Ibid.* 20.

3 Vir ſive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur: lapidibus obruent eos. *Levit.*20.27.

4 Qui dederit de ſemine ſuo Moloch, lapidetur. *Ibid.*2.

5 Si ſurrexerit prophetes, filius, filia, aut uxor tua, & dixerit: Eamus, & ſerviamus diis alienis; ſtatim interficies eum, ſit primùm manus tua ſuper eum, & poſt te omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur. *Deut.* 3.2.6.7.8. H

6 Si urbs idem fecerit, delebis eam cum incolis uſque ad pecora, omnia quæ in ea ſunt, ſuccendes & combures Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus: non ædificabitur ampliùs. *Ibid.*13.

7 Qui maledixerit Deo, & blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit. *Levit.*24.16.

8 Chananæos omnes perdendo perdes, non inibis cum eis fœdus, nec conjugia, non habitabunt in terra tua; avocabunt enim filios tuos à me, & colent deos alienos. *Exod.*23.33.

9 Qui percuſſerit patrem, aut matrem, morte moriatur. *Exod.*21.11.

10 Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. *Ibid.*17.

11 Parentes filium rebellem, & epulonem adducent ad judices, ex quorum ſententia lapidabunt eum omnes homines urbis illius. *Deut.*21.19.

II. Circa ſextum præceptum, puta circa inceſtam copulam, & libidinem.

1 Mœchus & adultera morte mulctentur. *Levit.*20.10.

2 Si

2 Si quis dormierit cum noverca, vel nuru ſua, vel cum maſculo, uterque moriatur. *Ibidem*.

Sic & qui dormierit cum matertera, amita, uxore fratris vel patrui, aut avunculi ſui. *Ibid.v.*18.*& ſeq.* Item qui viderit turpitudinem ſororis ſuæ. *Ibid.*17.

3 Qui ſupra uxorem filiam duxerit matrem ejus, vivuus ardebit cum eis. *Ibid.* 14.

4 Vir, vel mulier, quæ cum pecore congreſſa eſt, morte moriatur. *Ibid.* 15.

5 Si quis in urbe concubuerit cum virgine, quæ alteri ſponſata eſt, & illa non clamavit, uterque lapidibus obruetur. *Deut.*22.23.

6 Si in agro id fecerit, ipſe morietur ſolus, puella nihil patietur. *Ibidem*.

7 Qui vim infert virgini non deſponſatæ, eam habebit uxorem, nec poterit eam unquam dimittere; & inſuper patri ejus ſolvet 50. ſiclos. *Ibid.* 29.

8 Si quis dormierit cum ancilla, id eſt ſerva, vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera, offerentque arietem pro peccato Domino. *Levit.*19.20.

9 Si concubuerit quis cum virgine non deſponſata, dotabit eam, & habebit eam uxorem. *Exod.*22.16.

10 Si pater virginis eam dare noluerit, dotabit eam. *Ibid.*

11 Si maritus accuſet ſponſam, dicens: Non inveni eam virginem; ſi verum eſt, quod obiicit, lapidibus obruent eam; ſin autem, proferent parentes virginis ſigna virginitatis ejus, & ex iis judices condemnabunt maritum ad verberationem, & ad centum ſiclos argenti, dandos patri ſponſæ, atque ſponſam tota vita ſua retinere cogetur. *Deut.*22.13.

12 Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea. *Deut.*22.5.

LEGES MIXTÆ, MORALES, JUDICIALES, ET CÆREMONIALES SIMUL

Pete ex loco de Cæremonia.

VETERIS LEGIS IMPERFECTIO.

Ex Tit. proximo illuſtrabitur.

* LEX NOVA, ET LEGISLATOR.

Quæ lex Gratiæ, Chriſti, & Euangelica dicitur.

ENCOMIA NOVÆ LEGIS.

ADVENIENTE NOVA, LEX VETUS CESSAVIT.

Abrogata veteris legis obligatione, eaque ceſſante, quod fieri cœptum in die Pentecoſtes; quando etiam lex nova promulgata fuit in Jeruſalem, tandemque crevit illius notitia, & obligatio; factum, ut eadem non tantùm mortua tempore legis Gratiæ ſufficienter promulgatæ fuerit habita, ſed & mortifera eam ſervantibus effecta, ſaltem quoad illius cæremoniales leges, quas poſt revelatum Euangelium adhibere non licet Deo earum uſum reprobante, præſertim cùm totum valorem ſuum etiam olim duntaxat habuerint virtute fidei, & gratiæ Chriſti venturi, aut promiſſionis de illo factæ. Qui cum venerit, & promiſſionem impleverit, omnia illa legalia quæ umbræ erant futurorum, luminis ſuæ claritate diſpulit. Siquidem Chriſtns erat Lux vera, de qua teſtimonium perhibuit Jo. Baptiſta, ut omnes crederent per illum, & poteſtatem haberent filii Dei fieri. *Ioan.cap.*1.

Succeſſit itaque legi veteri Lex nova, excellentior, & perfectior, ut infra latiùs dicetur, ubi inſtituetur comparatio inter utramque legem; quæ appellatur Lex fidei, *ad Rom.*3. Lex ſpiritus vitæ, *ad Rom.*8. Communiter dicitur lex gratiæ, imò gratia abſolutè, juxta illud *Ioan.*1. Lex per Moyſen data, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Gratia autem eſt vita ſpiritus noſtri.

Appellatur quoque lex amoris, quia ſpiritus gratiæ eſt ſpiritus amoris, cum lex vetus fuerit timor, & terror, ut patet *Exod.*20. Item lex libertatis. *Iacobi* 1. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. 2.*Corinth.*3. Inſuper dicitur Euangelium gloriæ, 1.*ad Timoth.cap.*1. hoc eſt glorioſum; quia ſit inſtar lucis, cum lex vetus fuerit umbra, & per hoc glorificatur Deus, & ducat nos ad gloriam æternam, docendo modum quo eo perveniamus.

Vocatur quoque lex nova, quòd hominem per gratiam renovet, ſive quòd veterem antiquaverit. Denique lex Chriſti ab authore, & Euangelium, quaſi bonum Nuntium regni cœlorum, & ſalutis per Chriſtum factæ. Unde ſtatim in initio prædicationis ea vox audita eſt, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

EIUS SYMBOLA.

Dicitur olim Deus dediſſe populo veteri legem igneam, *Deut.cap.*33. quia eam dederat cum ignibus, & fulgetris intermicantibus, ut conſtat *Exod. cap.* 19. Unde meritò Moyſes, *In dextra eius ignea lex.* Quod allegoricè exponens S. Greg. *hom.*30.*in Euang.* Dextra, inquit, Dei appellantur electi. In dextra ergo Dei ignea lex, quia electi mandata cœleſtia nequaquam corde frigido recipiunt, ſed ad hæc intimi amoris facibus inardeſcunt. Eſt igitur lex nova, lex ignea, quia eſt lex amoris, de qua dixit Chriſtus, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? *Luc.*12. Notat *Rupertus*, Euangelicam legem ſymbolicè ſignificatam per iridem, quam peracto diluvio Deus poſuit in nubibus: Adfert, inquit ille, gratiam, remiſſionem & gloriam. *In cap.*9. *Geneſ.*

MATERIA.

Materia legis Euangelicæ partim eſt moralis, partim cæremonialis; unde illius præcepta dividuntur in moralia, & cæremonialia. Totum enim *c.*5. *Matthæi* eſt morale, & confert in eo Chriſtus moralia ſua præcepta cum veteribus, & oſtendit ſe longè perfectiori modo illa tradere, & declarare, dicendo: Dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c. Deinde *Ioan.* 13.*&* 14. renovat præceptum dilectionis proximi, quod morale eſt, imò cæterorum apex; quamvis nullum novum poſitivum morale præceptum veteribus addiderit. Cum quo benè conſiſtit, quòd in lege nova ſit obligatio plura explicitè credendi, quàm in veteri, quia expreſſior nunc, & de pluribus myſteriis eſt facta revelatio. Vide *Soar.l.*10.*de leg.c.*2.*n.*10.*& ſeq.*

Secundò proponit hæc lex Sacramenta, & ſacrificium, quæ ſunt cæremoniæ divini cultus. Scimus enim, ſpeciatim hæc à Chriſto inſtituta, & præcepta, eſtque de fide. Conſtat autem, eadem non eſſe juris naturalis, ſive per ſe conſiderentur, ſive conjuncta inſtitutioni; ſed poſitiva eſſe, & accommodata ſtatui perfectiori. Unde colligitur etiam, materiam legis novæ complecti tam actus externos, quàm internos, ut in quibus conſiſtit potiſſimùm rectitudo ad Deum. Hæc namque lex verſatur potiſſimùm circa actus, in quibus conſiſtit interna juſtitia, de qua Chriſtus: Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm ſcribarum, &c. *Matth.c.*5. Videatur *Soarez ſup. n.*16.

FORMA, ET EFFICIENS.

Chriſtum Dominum fuiſſe verum ac proprium Legiſlatorem, eſt fidei, definitum in Trident. *ſeſſ.*6. *Can.*21. & probatur *Iſaiæ* 33. Dominus legifer noſter. Lex autem quam tulit, eſt illa quam novam, & Euangelicam appellamus. Quod iterum eſt de fide. Probatur *Iſai.*2. De Sion exibit lex. Imò *Matt.*5. Exercere cœpit hoc munus, explicando & perficiendo legem naturalem. Itaque cauſa efficiens hujus novæ legis eſt Chriſtus, per quem Deus nobis noviſſimè eſt locutus, ut per hominem. *Ad Hebr.cap.*1.*&* 2. hanc legem præfert veteri, quòd hæc per Chriſtum, vetus per Angelos ſit tradita.

Forma hujus legis non fuit ſicuti olim, ſcripta in tabulis lapideis, aut alia externa ſcriptura, ſed in mentibus, & cordibus fidelium, ad quod verbum ſenſibile, & vocale, quo mediante eſt tradita, fuit velut inſtrumentum. Quò facit, quòd per legem Euangelicam non tantùm intelligamus præcepta propriè dicta, ſed etiam ſpiritum gratiæ inclinantis, & dantis vires ad ea ſervanda; quæ gratia cordi infunditur. Quatenus tamen præcepta continet, etiam exteriùs lata, & ſcripta dici poterit. Ita *D.Thom.ſup.q.*106. *art.*1.

FINIS, & EFFECTUS.

Ultimus finis Euangelicæ legis eſt homines perducere ad regnum cœlorum, quod ſpecialiter hìc promittitur, tanquam per exactam hujus legis obſervationem in fine vitæ conſequendum. Proximus autem finis generalis, eſt perfecta fidelium ſanctificatio, per verum ac perfectum Dei cultum, & per applicationem meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, per media & inſtrumenta ad hoc ab illo inſtituta. Singula tamen præcepta habent ſuos fines proprios, & particulares.

Effectus autem legis novæ eſt juſtificare, & ad id auxilium & vires præſtare, in quo longè excedit veterem. Eſt namque juxta S. Paulum, Euangelium virtus Dei in ſalutem omni credenti. *Rom.*1. Ideò autem virtus, quòd vires præſtet ad bene operandum. Gratia verò convenit legi novæ, quaſi per ſe & ex propriis, antiquæ non niſi per reſpectum ad legem gratiæ, ſic ut ad eam pertineant omnes, qui in veteri lege fuerunt juſtificati; omnibus enim gratia per Chriſtum præſtita fuit, cum non ſit aliud nomen datum hominibus, in quo nos oporteat ſalvos fieri. *Act.c.*4.

De-

Deinde plures effectus ſpirituales tribuendi ſunt huic Legi, verbi gratia, effectus omnium ſacramentorum, characteres eorum, poteſtas ordinis ex vi illorum dimanans, & juriſdictionis pertinens ad univerſum Eccleſiæ regimen. Item omnia privilegia, auxilia gratiæ, & quælibet in hoc ſtatu nobis communicantur.

QUANDO PROMULGATA, AC COEPERIT OBLIGARE.

Vbi etiam variæ antitheſes notantur datæ veteris & novæ legis.

Promulgatio legis novæ facta eſt in Pentecoſte; tunc enim Spiritus veritatis, toties à Chriſto promiſſus, datus eſt in figura linguarum ignearum, ut de Sion exiret lex, & verbum Domini de Jeruſalem, ut docent *Leo, Auguſt. & Hieron.* In eo autem convenit utraque lex, quòd data fuerit quinquageſimo die à Paſchate; attamen illa in Sina, hæc in Sion, illa in tabulis lapideis, hæc ſpiritu Dei vivi in cordibus fidelium. Tunc mons tremuit, hìc domus in qua erant Apoſtoli ſedentes; tunc ventus, turbo flammarum, & fulgura perſonuerunt, hìc etiam factus fuit repentè de cœlo ſonus, tanquam ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, idque in viſione linguarum ignearum. Ita *S.Hieron. ad Fabiolam*.

Tunc quoque ſegetes metere incipiebant; adventante autem Spiritu ſancto tempus erat, ut Apoſtoli mitterent falcem in meſſem, quæ multa erat, & operarii pauci.

Obligatio ergo hujus legis non fuit ante diem Pentecoſtes, quo demùm promulgata eſt Jeroſolymis ſufficienter. Unde ex hinc diffuſa promulgatio pariter, & obligatio per totam Judæam, Samariam & vicinas provincias. Poſtulat enim quævis lex poſitiva tempus ſufficiens, ut illius notitia obliget loco, & tempore diſtantes; neque poteſt momento ad omnia loca ſufficienter deferri, & applicari. Quoad Gentiles verò probabile exiſtimatur, legem novam non cœpiſſe eos obligare per ſe, ac propriè loquendo, priuſquam Petro facta fuit de eiſdem revelatio, *Act.cap.*10. quæ eum docuit, non eſſe acceptorem perſonarum Deum, quantum ad electionem gratuitam, ſed omnes vocari ad Eccleſiam, gentiles perinde ac Judæos. Unde & iiſdem amodò prædicari, & promulgari cœptum eſt Euangelium, & ipſi etiam cœperunt obligari, tandemque ſucceſſivè, ſecundum quòd promulgatio facta fuit, omnes obligavit.

LEGIS NOVÆ PRÆROGATIVÆ PRÆ VETERI.

Prima eſt, quòd lex nova ſit duratura uſque ad mundi finem, nec abroganda, donec ceſſet Eccleſia militans, ac numerus prædeſtinatorum conſummetur. Ita *S.Thomas*, & omnes communiter, & probant verba Chriſti: Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant, *Matth.*24. adjuncta Patrum expoſitione, qui explicant hoc de generatione fidelium, id eſt Eccleſia in finem duratura. Lex vetus autem abrogata jamdudum eſt, ut paulò antè demonſtravimus.

II. Lex gratiæ longè excellentiùs habet ſpiritum gratiæ, qua ipſa impletur, tum ratione ſtatus excellentioris, tum ratione proximi ipſius legiſlatoris. Quo factum, ut abundantiorem gratiæ ſpiritum habuerit, quàm lex Moſaica. Unde in nova lege non accepimus ſpiritum ſervitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei. *Rom.cap.*8.

III. Lex nova per Chriſtum, altera per Moyſen immediatè tradita. Unde ex parte materiæ quadruplex exurgit differentia, quòd nova lex excellentiorem habuerit, & perfectiorem, habuit namque revelationes perfectiores. Deinde forma illius & effectus perfectiores ſunt, uti ex ſuperioribus clarè demonſtratur, & docet S. Auguſtinus *toto lib. de Spiritu & littera, & lib. de Natura, & Gratia, c.*57.

Rurſus lex vetus ſolùm uni populo data eſt, nova pro toto mundo. Inſuper jugum Chriſti ſuave, & onus leve, *Matth.*11. vetus oneroſa, ob infinita præcepta cæremoniarum, obſervationum, aliorumque legalium. Ad extremum finis veteris eſt lex nova, ad quam illa erat præparatio, & velut rudimentum primumque elementum, ac figura illius. Siquidem comparatur lex nova ad veterem, velut ſol ad umbram, veritas ad imaginem, incompletum ad completum. *Legatur S.Th. ſup. q.*107. *ar.*3.

* LEGES ROMULI, ſive DE REGIIS LEGIBUS, ET QUI REGES QUAS TULERINT.

Studio & opera V.C.I. Lipſii collectæ.

Jus omne, publicum aut privatum eſt. Publicum, Divinum, aut Humanum. Divinum, quod ad ſacra, & ſacerdotes pertinet Humanum, quod ad magiſtratus, & publicam adminiſtrationem. Ex his Romulus rex humanum præcipuè; Numa divinum conſtituit. Et publico quidem juri pauca, aut reges cæteri, aut decemviri addiderunt. Supererat Privatum, quod in Naturale, Gentium, & Civile tribuitur. Naturæ jus Romuli ferè leges præferunt, Numa gentium addidit. Romulus de educatione liberorum, de matrimoniis, de parentum jure ſanxit: Numa de homicidiis, de bonæ fidei contractibus, de ſepultura quædam tulit. Juris Civilis præcipuus auctor Servius Tullius, qui auctore *Dionyſio*, de contractibus, & injuriis quinquaginta leges rogavit, item de fœnore, de nexis ære alieno, & alia, quæ complura in ſuas tabulas decemviri tranſtulerunt. Non aliena ab hac origine juris. *Ariſtotelis* diviſio eſt Juſtitiæ particularis in διανεμητικὴν, ſive diſtributivam, & ἀλλακτικὴν, Commutativam. Priorem illam juſtitiam Romulus maximè, & ex parte Numa, poſteriorem ceteri ſpectarunt. Romuli leges, quarum verba ipſa perierunt, ſententiæ ex antiquis, præcipuè *Dionyſio*, colliguntur, ſic concipi poſſunt.

L.B. Theat. vit. Human. Tom. IV.

1 Deos patrios colunto, externas ſuperſtitiones aut fabulas ne admiſcento.
2 Ne quid inauſpicatò publicè gerunto.
3 Nocturna ſacrificia, pervigiliaque amoventor.
4 Rex ſacrorum præſes, legum cuſtos eſto, judicia exerceto, belli imperium habeto.
5 Patres ſacerdotia & magiſtratus capiunto, plebeis patroni ſunto.
6 Populi ſuffragia ſunto, magiſtratus creanto, leges ſciſcunto, pacem bellumque jubento.
7 Mœnia ſancta exiſtimantor.
8 Uxor Farreatione viro juncta in ſacra, & bona ejus venito, jus devortendi ne eſto.
9 Si ſtuprum commiſit, aliudve quid peccaſſit, maritus judex & vindex eſto, deque eo cum cognatis cognoſcito.
10 Temetum mulier ne bibito.
11 Quod natum erit, parentes tollunto; monſtroſos tamen partus ſe fraude exponi fas eſto.
12 In liberos ſuprema patrum auctoritas eſto, venundare, occidere liceto.

Verba ipſa legum.

13 Si pater filium ter venumduit, filius à patre liber eſto.
14 Sei paer parentes verberit, aſt oloe ploraſſint, puer diveis parentum ſacer eſto. Sei nurus, ſacra diveis parentum eſto.
15 Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto.
16 Duumviri perduellionem judicent: Si à duumviris provocarit, provocatione certato; ſi vincent, caput nubito, arbori infelici ſuſpendito, verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.

Numæ Pompilii leges.

Numa, ait *Dionyſ.* Romuli leges firmavit, novas ipſe de ritibus, & miniſtris ſacrorum adjunxit. Curiones, Flamines, Augures, Veſtales, Salios, Feciales, Pontifices inſtituit. Legum aliquot verba hæc reperiuntur.

1 Dis ex imputata vite ne libanto.
2 Vino rogum ne reſpergito.
3 Piſceis quei ſquamoſi non ſunt, nei polluceto. Squamoſos omneis præter ſcarum polluceto.
4 Quojus auſpicio, claſſe procincta, opeima ſpolia capiuntur Jovi Feretrio bovem cædito. Quei dedit, æris ducenta darier oporteto:

Secunda ſpolia, in matris aram in campo ſolitaurilla utra voluerit cædito.

Tertia ſpolia Jano Quirino agnam marem cædito. Centum qui ceperit, exhæredato.

5 Qui terminum exharaſſit, ipſius & boves ſacrei ſunto.
6 Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, parricida eſto: ði imprudens, tum in concione pro capite occiſi, & nati ejus arietem offerto.
7 Pellex aram Junonis ne tacito, ſi tagit, Junoni crinibus demiſſis agnum fœminam cædito.
8 Sei hominem fulmin Jovis occiſit, ne ſupra genua tollito.

Homo ſi fulmine occiſus eſit, ei juſta nulla fieri oporteto.

Senſa legum iſta.

9 Deis fruge & mola ſalſa ſupplicanto.
10 In contractibus fides ſervator: Fidei numen omnes metuunto.
11 Si filiusfamilias uxorem duxit, patri vendundi ejus ne ultra jus eſto.
12 Mulierem, ſi prægnans mortua ſuat, niſi exciſo partu, ne humato: qui ſecus faxit, quaſi ſpem animantis peremerit, ita eſto.

Tullii Hoſtilii.

1 Nati trigemini, donicum puberes eſunt, de publico aluntor.

* DE LEGIBUS DECEMVIRALIBUS, ſive XII. TABULARUM.

Quando, & Quomodo Scriptæ,

Regiæ leges, partim ſcriptæ, partim inſcriptæ, aduſque Tarquinii Superbi tempora valuerunt. Primus ille Servii leges omnes abrogavit, & priorum regum pleraſque contempſit, ad vim omnia referens, & libidinem dominandi. Tarquinio verò pulſo, à Bruto & Valerio Coſſ. revocatas iterùm Servianas aliaſque leges Dionyſ. affirmat. Quaſdam & ipſi Coſſ. & poſteà Tribuni addiderunt tuendæ libertati, ut ſunt Valeriæ, Sacratæ, Iciliæ leges. Sed hæ omnes jus publicum ſpectabant, & privato juri nulla facta acceſſio ante leges x. virales. Anno V. C. 312. promulgata eſt à Tribunis lex Terentia de Quinque viris, ut Livius, vel Decemviris, ut Dionyſ. Legum Scribis creandis. Eaque lex plebi volenti fuit. Nam ad id tempus loco regum Coſſ. jus dicebant. Coſſ. autem ex Patribus erant. Itaque in diſſenſu ordinum, cum Patres occaſione juris præcipuè uterentur ad premendam plebem, nec plebejo contra patricium jus ullum æquum eſſet, omnibus concionibus jactata, & flagitata lex Terentia eſt. Reſtitere tamen ſeptem annis Patres ipſi. Fracti demùm conceſſere, miſſique legati in Græciam ad Solonis inclytas leges, aliarumque civitatum inſtituta, moreſque noſcendos. Addit Dionyſ. etiam in Græcanicas Italiæ civitates. Biennium plus minus legati abfuerunt. Reverſi ſunt anno V. C. 301. Statimque plebs pervicit, ut ſcribendarum legum initium fieret: Patres renuerunt, ut x. viri è patriciis tantùm crearentur. Creatus Ap. Claudius, T. Genurius, P. Sextius, Sp. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romulus, Sp. Poſthumius, omnes conſulares. Inierunt Magiſtratum ſine provocatione, anno V. C. 302. fineque anni propoſitæ X. Tabulæ, duæ reliquæ ſequenti anno additæ. In Græcis interpretandis uſi ſunt opera Hermodori Epheſii philoſophi. Vabulas vocare placuit exemplo Athenienſium, qui Solonis leges dixerunt Ἄξονας, tabulis ligneis inciſas, quamvis iſtas æreas fuiſſe conſtet, diſſentiente Pomponio. Perlatæ ſunt comitiis centuriatis, fixæ in foro ad Curiam Hoſtiliam, manſeruntque, quamvis poſt varia incendia urbis, ultra Septimii Severi Imp. tempora. De diviſione tabularum ex Fragmentis difficile judicium eſt. Modo tamen & ordine ſcriptas fuiſſe non eſt dubium. Leges regiæ, & Solonis, decem primas tabulas occupaſſe videntur, duæ poſtremæ de Sacris fuerunt, eaſque à Faliſcis petitas Servius eſt auctor. Certè leges regiæ ex 1. 2. & 3. tabula à Feſto citantur: Lex Romuli de vendendis filiis à Dionyſ. in 4. ponitur. Fragmenta quæ ſuperſunt, hæc ſunt.

1 Juſſus populi & ſuffragia ſunto. Quodcumque poſtremum populus juſſit, id jus ratumque eſto.
2 Privilegia ne irroganto.
3 De capite civis niſi per maximum comitiatum ne ferunto.
4 Fortis ſanatique idem jus eſto.
5 Qui hoſtem concitaverit, quive civem hoſti tradiderit, quive cœtus nocturnos agitaverit, capital eſto.
6 Sodalitates & collegia ſunto, aſt ne in publicas leges commodave peccanto.
7 Qui fruges excantaſſit, Cereri ſacer eſto.
8 Qui frugem aratro quæſitam pavit ſervitute, pubes Cereri ſacrator, impubes prætoris arbitratu verberator, noxamve duplionemve præſtato.
9 Si in alieno pecus paverit, actio eſto.
10 Qui injuria arbores alienas cæciderit, in ſingulas xxv. æris luito.
11 Arboris impendentis ramos xv. pedes à terra circumcidere jus eſto.
12 Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecunia tutelave ſuæ rei, ita jus eſto.
13 Si inteſtatus moritur, cui ſuus hæres nec eſſit, agnatus proximus familiam habeto: Si agnatus nec eſſit, gentiles familiam herciſcunto.
14 Si furioſus eſſe incipit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque ejus poteſtas eſto.
15 Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito.
16 Hoc plus ne facito, rogum aſcia ne polito.
17 Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.
18 Homini mortuo ne oſſa legito, quo poſt funus facias, niſi belli peregreve mortuo.
19 Qui coronam parit, ipſe pecuniave ejus, virtutis cauſa arditor.
20 Neve aorum addito.
21 Quot auro dentes vincti eſunt, aſtim cum ollo ſepeliri & urere, ſe fraude eſto.
22 Servilis unctura tollitor, omniſque circumpotatio.
23 Rogum buſtumve novum, propiùs LX. pedes, alienas ædes ne adiicito.
24 Forum buſtumve ne uſucapito.
25 In jus vocet, atque eat.
26 Si morbus evitaſve vitium eſſit, qui in jus vocaſſit, jumentum dato: Si volet arceram, ne ſternito.
27 Si quid horum fuit vitium judici, arbitrove, reove, dies diffenſus eſto.
28 Si vis vocationi fuat teſtamini, igitur en capito.
29 Si calvitur pedemve ſtruit, manumendo jacito.
30 Si quei in jure mänum conſerunt, utrique ſuperſtitibus præſentibus vindicias ſumunto.
31 Si vindiciam falſam tulit, rei ſive litis arbitros tres dato, eorum arbitriis fructus duplione damnum deciditor.
32 Rem ubei pagunt oranto, nei pagunt, ante meridiem in foro aut in comitio cauſam coniiciunto. Poſt meridié præſenté ambobus litem addicito. Sol occaſus ſuprema tépeſtas eſto.
33 Æris confeſſi, rebuſque jure judicatis, triginta dies juſti ſunto, poſtidea manus endojectio eſto: In jus ducito, nei judicatum facit, aut quips endo jure en vindicit, ſecum ducito, vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo, neminore, aut ſi volet, majore vincito. Si volet, ſuo vivito, ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit, libras fabris endo dies dato: ſi volet, plus dato.
34 Tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus minuſve ſecuerint ſe fraude eſto.
35 Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario quivis volet, vindex eſto.
36 Qui ſe ſirit teſtarier, libripenſve fuerit, in teſtimonium ſeriatur, improbus inteſtabiliſque eſto.
37 Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob jortum obvagulatum ito.
38 Qui falſum teſtimonium dixerit, ſaxo Tarpeio deiicitor.
39 Si judex arbiterve ob rem judicandam, pecuniam acceperit, capital eſto.
40 Qui malum carmen incantaſſit, Cereri ſacer eſto.
41 Qui injuriam alteri faxit, xxv. æris pœnæ ſunto.
42 Si quis carmen occentaſſit, actitaſſit, condiſſit, quod alteri flagitium faxit, capital eſto.
43 Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto.
44 Si nox furtum faxit, & in aliquips occiſit, jure cæſus eſto.
45 Interdiu ſi ſe telo defenderit, jure cæſus eſto.
46 Si adorat furto, quod nec manifeſtum erit, duplionem luito.
47 Furta per lancem liciumque concepta, quaſi manifeſta vindicantor.
48 De furto paciſci liceto.
49 Tignom junctom ædib. vineæque concapes ne ſolvito.
50 Furtivæ rei æterna auctoritas eſto.
51 Uſus, auctoritas fundi, biennium eſto.
52 Adverſus hoſtes æterna auctoritas eſto.
53 Qui nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto.
54 Vindiciæ ſecundùm libertatem dantor.
55 Ne quis unciario fœnore plus exerceto.
56 Patricii cum plebeis connubia ne jungunto.
57 Via in porrectum viii. P. in anfractum xvi. P. lata eſto.
58 In finibus intra v. pedes uſucapio eſto.

Scripſit tam in Regias, quàm in Decemvirales leges, inſignem commentarium *Franc. Balduinus* Juriſconſultus celebris, ex quo earundem explicatio deſumi poterit.

CUR ITA VOCATÆ, EARUMQUE INTERITUS.

☞ *Vide de modo veteri inſcribendi Leges, eaſq; proponendi.*

Vocarunt Romani leges ſuas nomine Tabularum, imitatione Athenienſium, qui Solonis leges ligneis tabulis inſculptas appellarunt ἄξονας.

Ulpianus omnem materiam cui leges inſcribuntur, vocavit Tabulas, etiamſi ea papyrus eſſet, vel membrana, vel cortex, vel corium animalis.

Pomponius vult, tabulas has XII. fuiſſe ex ebore, at meliùs alii æreas dicunt fuiſſe. Ita *Diod. Sicul. lib.* 12. *Livius*, & alii. *Plin.* id factum ait ad perpetuitatem monumentorum, & conſtitutionum publicarum, *l. 3. c. 9.* unde *Venuleius ad l. qui tabulam*, ſcribit: Qui tabulam æream legis refixerit, lege Julia peculatus tenetur. Utinam eam pœnam formidaſſet, qui primus XII. Tabulas refixit, & abolevit. Scribebantur autem leges carmine, ut faciliùs à vulgò ediſcerentur. Paulò ante conjurationem Catilinariam, æra tabularum in Capitolio liquefacta, narrat *Cicero.*

Etiam inter prodigia triſtiſſima Romæ poſt cædem Cæſaris ex templo Fidei tabulæ æneæ turbine evulſæ memorantur. Tempore Veſpaſiani, tabularum ærearum, in quibus Senatuſconſulta continebantur, tria millia conflagraſſe deplorat *Sveton.*

Vetus autem ille mos incidendarum legum in æreas Tabulas, duravit uſque ad tempora poſteriorum Cæſarum. Extant in *Cod. Juſtin. lib. 2. de frument. urb. Conſt.* verba Theodoſii atque Valentiniani, quibus jubent, Tabulæ æreæ incidi legem quandam de frumento urbis Conſtantinopol.

Extat lib. XI. integri codicis Theodoſiani conſtitutio Conſtantini de alimentis, quæ inopes parentes ex publico petere debent, quam jubet ille proponi æneis tabulis, vel ceruſſatis, vel lineis mappis.

Etiam Juſtinianus ſuam Novellam octavam, ut Præſides provinciæ abſque datione pecuniæ ad officia mittantur, vult tabulis aut lapidibus inſculptam foribus templorum præfigi. Sic leges XII. Tab. pro Roſtris propoſitæ fuerunt primùm loco illuſtri propè Curiam Hoſtiliam. Quomodo Athenienſes leges ſuas proponebant πρὸς ἐπωνύμους εἰκόνας. Erant hæ ſtatuæ heroum, à quibus appellationem ducebant Tribus Athenienſium.

Sanè *Diod. Siculus lib.* 12. ſcribit XII. Tab. leges ſuo tempore (vixit autem ætate Auguſti) pro Roſtris incolumi ſculptura propoſitas perduraſſe.

Sed & *D. Cyprianus*, poſt annos ducentos nondum expunctas fuiſſe, tradit *in epiſt. 2. ad Donat.*

Quando autem interierint, non memini à quoquam accuratè referri; interiiſſe autem jam olim conſtat. Legatur *Franc. Balduinus in leg. XII. Tabul.*

* DE LEGE SALICA.

Nomen, Origo, & Quæ Sit.

Legem Salicam, cujus eſt celebris obſervatio in regno Galliarum, quidam ad veteres illos Romanos referunt, & à Saliis Sacerdotibus nomen accepiſſe contendunt. Sed cùm multa ſatis curioſè, & operoſè de eadem congeſſerit vir ſuo ſæculo doctiſſimus *Didac. Covarruu. lib. unic. var. qq. c. 1. n.* 8. nos illius labore uti malumus, quàm aliorum opiniones conferre. Sic igitur de hac lege ſcribit: Leges Salicæ latæ fuerunt ſub Pharamundo primo Francorum rege, circa ann. Dom. 425. & fuerunt reſponſa quædam, & judicia aulicorum, qui oriundi erant à Saliis populis Alpinis, ut cenſet *Balduin. in proleg. pag.* 101. De lege Salica ita ſcribit *Paul. Æmil. de geſt. Francor. in Philippo Longo*, legis Salicæ verba hæc itidem recitans: In terram Salicam mulieres ne ſuccedant. Terram Salicam, regnum Franciamque interpretabantur.

Salios, Francorum gentem fuiſſe, *Ammian. Marcell.* refert, Juliani Aug. qui res in Gallia geſſit, comes ac ſuorum temporum ſcriptor.

Hæc *Paul. Æmil. lib.* 8. qui & Saliorum meminit paulò pòſt *in Caroli Pulchri vita.*

Idem *in lib.* 2. ſub Carolo M. tradit, Salios Francos initio dictos fuiſſe à Sala flumine, qui propè Albim labitur.

Locus *Marcellini eſt lib.* 17. Quibus, inquit, paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Troxiandriam lacum habitacula ſibi figere prælicenter.

Beatus Rhen. l. 2. de rer. Germanic. leges aliquot Francorum refert, & inquit: Ipſi Franci nunc Salicam legem, nunc Gombetam præferebant. Nam hi ſolidum duodecim denariorum pro mulcta ſolvebant. Si Friſius, aut Saxo offendiſſet Salicum Francum, quadraginta denariorum ſolido mulctabantur. *Hactenus Rhenanus* · *Jo. Ferrar. in l. 2. ff. de reg. iur.* legem Salicam ex eo dictam exiſtimat, quòd Pharamundus Salicus eam tulerit. Pharamundum verò Salicum appellat ex eo, quòd Francis, qui Salii dicti fuerunt, juſſa dederit. Eandem interpretationem probat *Car. Molin. in conſuet. Pariſ. tit.* 1 §. 16.

Rurſus & *B. Rhen. lib. 1. rer. German.* Claudiani locum Stiliconem effuſè laudantis exponens ex prima Panegyri,

—— *Rhenumque minacem*
Cornibus infractis adeò miteſcere cogis,
Ut Salius iam rura colat. ——

inquit poeta, Salii nomine Francum intelligi ex Ammiano Marcellino. Licèt in vulgatis codicibus pro Saliis Svevus indoctè ſubſtitutus fuerit, & addit: Una ſanè præſtans Francorum natio, Salingos à Sala fluvio ſe nuncuparunt. *Hæc ipſe.*

Sic *Alciat. lib. 2. diſpunct. c.* 22. legem Salicam dictam eſſe ſcribit à Saliis, qui & Franci dicti fuere. Unde & *Sidon. Apoll.*

—— *Salius pede, falce Gelonus.*

Ex quibus ipſe cenſeo, legem Salicam dictam fuiſſe à Saliis, quos itidem opinor Francorum fuiſſe nationem, & gentem quandam apud eos nobilitate, prudentia & virtute præſtantiorem cæteris Franconiæ populis.

Legis etiam Salicæ mentio fit in *c. 1. de filiis natis ex matre ad Morganaticam contracto.* Quamobrem etſi de lege Salica, quæ feminas à ſucceſſione regni excluſit, latè & optimè diſputaverit Pyrrhus poſt Aurelianenſes conſuetudines; ejus tamen originem viſus eſt ignoraſſe, etiamſi cautè de ejus initio dixerit, Pharamundum priùs accitis proceribus, nec citra maturum conſilium Salicam legem tuliſſe, ut ab optimis legibus ſanctiſſima regni auſpicia captaret, quàm vel ſale, rectaque ratione, vel à Salica terra, vel à Saliis ſacerdotibus, id eſt à generoſis ſapientibus viris condita, vel undecunque libet, Salicam veteres, & nos eorum legibus adſcripti nominamus.

Sic & *Guagninus lib.* 1. ſcribit Pharamundum, quatuor ex Sycambris ſpectatos proceres ſelegiſſe, qui populo legem ferrent, Uſogaſtum, Loſogaſtum, Sologaſtum & Viſogaſtum; eoſdem legem tuliſſe communi gentis, & procerum auctoritate fretos, eamque à Pharamundo promulgatam, à loco ubi condita fuit, dictam fuiſſe Salicam. Hactenus Covarruvias.

* DE JURE GENTIUM.

Quid Sit, Et An a Naturali Diſſideat.

Jus Gentium non eſt aliud quàm ipſiſſima naturæ lex, ut cujus deſcriptio ſupra tradita, etiam huic optimè conveniat. Quamvis J.C. differentiam ponant inter iſta, dum volunt legem naturalem ponendam in omnibus, quæ nobis cum pecudibus ſunt communia: Jus verò gentium in his, quæ nobis propria. Unde hoc, jus naturale ſecundarium; illam, jus naturale primarium dicunt. Ceterùm quod juri gentium iſti tribuunt, hoc veteres ad legem naturæ revocabant, videlicet divini numinis cultum, parentum patriæque charitatem, illatæ vis propulſationem, bellorum æquitatem, fœderum ſanctitatem, venditionum emptionumque juſtitiam, rerum diviſiones, libertatis aut ſervitutis inductiones, & ſimilia. Cumque apud eoſdem antiquos multæ legum diviſiones exiſterent, nulla tamen à naturæ legibus gentium jura diſparavit. Ariſtot. τὸ πολιτικὸν dividit in τὸ φυσικὸν, & τὸ νομικόν. Et Cicero, cùm naturæ legis meminiſſet, eam cum jure gentium eandem vult. Subjungit enim: Majores, aliud jus gentium, aliud jus civile eſſe voluerunt. Quod enim civile, non idem continuò gentium; quod autem gentium, idem civile eſſe debet, neque ſanè Jureconſultorum probari cauſa poteſt, dum naturæ legem vel homini eripiunt, vel eam non ei propriam, ſed cum beſtiis communem faciunt. Cùm enim hæ potiùs agantur, quàm agant, quomodo propriè regere aut gubernare dicantur; aut ſi propriè neque agunt, neque regunt, quomodo propriè ex iis lex eſt & regula?

Si quis tamen uſitatam nominum diſtinctionem proſcribere vereatur, eſt non incommoda quæ ineatur ratio, ut quia naturæ lex tam longè ac latè porrigitur, ejus duę veluti partes conſtituantur, quarum una generale nomen retineat, altera jus gentium nuncupetur; & illa quidem ſpeciatim dicta lex naturalis, omnia quæ de bonis aſſiduè neceſſariis, vel de mediis ad eadem itidem ſimpliciter neceſſariis fuerint, practica principia complectatur, cætera ſibi jus gentium vendicet. Quia verò idem gentium jus inter naturæ jamdictam legem ſpeciatim acceptam, & obſcuriora quæ ex illa colliguntur, quæque ad poſitam legem ſpectant, judicia, medio quaſi loco eſt, utriuſque legis naturam, & nomen quodammodo induit. Quemadmodum in Lyceo, analoga interdum ſynonyma, interdum homonyma, quia medium quiddam inter ea ſunt, nominantur. Sicque patet, fruſtrà quæri, ſitne ab hominibus aliquo in conventu jus iſtud conſtitutum? Eſt enim hoc, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.

☞ *De aliis legibus etiam generalioribus, pleraque dicta ſunt ſupra, Tit. Legiſlatores.*

---

* Liber. Libri. Librarii.

Definitio Et Etymologia.

Liber propriè corticis genus eſt tenujus, quod in philuras plures dividi poteſt. Cujuſmodi erant quæ papyris in Ægypto, ut alibi dicetur, detrahebantur, chartæque uſum præbebant. Libri, cortices, quòd in corticibus veteres ſtylo litteras formarent. Heb. *Petſalah*, & in plur. *Petſaloth*, decorticationes. *Gen.* 39. 36. à verbo *Pitſeth*, decorticavit, detraxit cortices in virgis. Hinc ψιλόω, nudo, ψιλὸς, nudus, tenuis. Folia librorum